

COMMENTARIUS

IN

EPISTOLAM

PAULI APOSTOLI AD

GALATAS BREVI ET PER-

SPICUA PARAPHRASI ET LO-

corum Communium expositione con-

scriptus, & ante annos quindecim

in Academia Marpurgensi

propositus

à

JOHANNE WINCKELMANNO

*SS. Theologiae Doctore, Professore, & Ec-*

*clesiaste.*

*Pfalm. 92.*

*Iustus instar palmae florebit.*




GIESSÆ HESSORUM,

*Excudebat Nicolaus Hampelius, Typogr. Acad.*

M DC VIII.




  
 AMPLISSIMIS ET PRUDEN-  
 tissimis Viris, Dnn. Consulibus & Senatoribus In-  
 clyta Reipubl. Hildesiana, Dominis, amicis ac fau-  
 toribus suis honorandis, ac plurimum dile-  
 ctis largissimam Dei benedictio-  
 nem & salutem P.



ALUTIS nostrę summam, Am-  
 plissimi Consules & Senatores,  
 Domini, amici & fautores ho-  
 norãdi & in Christo plurimum  
 mihi dilecti, consistere in solo  
 opere obedientię, quam Chri-  
 stus patri suo usq; ad mortem crucis præstitit,  
 apud omnes verè Christianos in confesso esse,  
 existimo. Unde in Ecclesia hoc axioma indubi-  
 tatum, tanquam fundamentum salutis nostrę  
 meritò retineri & defendi debet: Nullo alio o-  
 pere nos justificari & salvari, nisi illo redem-  
 ptionis opere, quod filius Dei propter nos ho-  
 mo factus sancta sua passione & morte perfecit.  
 Sanctam autem passionem & mortē cùm no-  
 mino, sanctam ipsius vitam exclusam minimè  
 volo. Nam passio & mors Christi per hoc sunt  
 salutare, quòd hominis justus est, qui tamen in  
 unitate personæ est filius Dei, quemadmodum  
 scitè Bernhardus ait in serm. ad milites in tem-  
 plo: Quo pacto mors hominis pro altero va-  
 luit? Quia justus erat. Profectò namq; quia  
 homo

ΕΠΙΣΤΟΛΑ

homo esset, potuit mori, cum justus, non  
 buit gratis. Item: mors per justitiam suam  
 egit victoriam. Hoc igitur fundamento in-  
 sito excluduntur omnia alia opera & me-  
 ritum, ut neque tua charitate aut Eleemosynis, &  
 que sanctorum demortuorum meritis,  
 coram Dei judicio nulla sunt, neque alia  
 opere, quocumque nomine illud venire  
 atque omnium minimè ἐφελοθησκειαις  
 & operibus, quæ homines proprio amore  
 & bona, ut loquuntur, intentione eligunt  
 justificari & vitam eternam promereri possunt  
 rissimi enim sunt B. Nazianzeni verba

Οὐ νόμος, ἔ δεκάται μὲ ὄν ἐργαία καὶ  
 Σὴ δὲ χάρις, σὸς δ' οὐκ ἐμοὶ σάξαι θεοῦ  
 Ἦν μὲν δειλοῖσιν ἀνάξ πόντος ἐλπίδ' ἀπο

Id est:

*Non lex, non decima, nec opera bona salvent  
 Tua verò gratia, tua misericordia nobis  
 immundo,*

*Quam solam miseris semel proposuisti pecca-*  
*catoribus.*

Unde hoc superest, ut nobis miseris pecca-  
 toribus in solo redemptionis opere, quod Chri-  
 stus Servator noster peregit, vera fiducia repon-  
 endum sit; Quod nihil aliud est, quam in  
 Ecclesiæ nostræ docent: Sola fide justificari ho-  
 minem sine operibus.

Verum hinc, qui renatorum & primum fidei ju-  
 stificatorum operibus continuationem & com-  
 plet-

## DEDICATORIA.

plementum justificationis adscribunt, nobis occinunt, nihil derogari unico redemptionis operi, à Christo præstito, sed potius inde opera sanctorum hanc vim & dignitatem fortiri, ut deinceps eos justificent & salvent. Audio quidem hæc ita speciosè ab illis dici, sed non verè, non ex sacrarum Scripturarum sententia.

Nam contra fundamentum jam positum obedientiæ & satisfactioni, quam Christus exactissimè legi præstitit, eiq; perfectissimè sanctè vivendo, patièdo & morièdo, nō pro se, quia segregatus erat à peccatoribus, sed pro nobis satisfecit, assuunt suam obedientiam & sua opera, ut & illa & his justificentur ac salventur, ut non dicendum nobis sit cum Apostolo, hominem fide sine operibus, sed fide & operibus simul justificari. Quid? Cùm fidei in Christum initium duntaxat justificationis, operibus autem continuationem & complementum admetiantur, quid aliud nobis statuendum, quàm quòd Christo ipsi, ut quem fides respicit, cui innititur unice, initium solùm justificationis & salutis nostræ attribuunt? Sacræ autem literæ nobis Christum fide apprehensum, tanquam principium, medium & finem nostræ salutis cōmendant, ut sicut fide in Christum initiò justificamur, ita fide stemus in illa gratia, & virtute Dei per fidem ad salutē custodiamur, quemadmodum Apostolus Abrahamum in medio curiū pietatis & bonorum operum, tanquam

EPISTOLA

universale omnium justificādorū exemplū proponit, eumq; fide nō operibus justificari pronunciat. Ita autem homo fide justificatus gustata in Christo gratia & misericordia Dei patris immensa non potest non ad laudem benigni Patris & dulcissimi redemptoris sui proximi utilitatem, fideiq; suæ testificatione virtute Spiritus sancti benè operari, & sanctæ conversatione statum & professionem suam exornare.

Cæterum illud justificationis & salutis nostræ fundamentum nunquam rectè tenemus nisi etiam doctrina de persona Christi veritatem in Christo naturarum personali unitate quæ hanc consequitur, communicatione immutatum pura retineatur.

Qui enim æternā Christi Deitatem blasphemè negant Ariani, hi ipsum salutis nostræ fundamentum penitus evertunt, omnes causas & media salutis nostræ convellunt, & subvertentes ipsorum blasphemias Dei gratia & æterna salute certissimè excidunt. Frustra enim credas Christum crucifixum, si carnem crucifixam solius creaturæ & non ipsius filii Dei veri & infiniti Dei carnem esse credas. Nam fieri nequaquam potuit, ut solius creaturæ caro toti mundo vitam acquireret.

Et cū ipsa veritas Christus Jesus affirmet: Caro mea verè est cibus: Dabo carnem meam pro mundi vita: Qui edit carnem meam, vivet in

## DEDICATORIA.

in æternum, *Joh. 6.* quomodo dictorum horum veritas stabit, nisi hæc caro sit verbi omnia valentis vivificare, atq; ideò Dei veri propria?

Ita sacri baptismi substãtiã cum suo fine tollunt, docentes, nos baptizari in nomine Dei Patris, Filii creaturæ & itidem Spiritus sancti creaturæ. Qua ratione institutio baptismi à Deo & creaturis dependeret, virtus operatrix in baptismo Deo & creaturis adscriberetur; fœdus quod initur in baptismo, consisteret ex una parte inter Deum Patrem, & Filium ac Spiritum sanctum creaturas, ex altera autem parte inter nos homines, qui à Deo & duabus creaturis in fœdus reciperemur.

Atqui sicut circumcisio olim fuit fœdus inter Deum solum & populum ipsius, *Gen. 17.* Ita etiam baptismus, qui in illius locum successit, fœdus est inter Deum & populum N. Testamenti, cum quo novum fœdus fecit, *Jer. 31.* Ob quam causam Petrus Apostolus baptismum appellat *συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεόν*, bonæ conscientiaæ interrogationem in Deum, *1. Pet. 3.*

Nec minus S. Cœnam Domini ratione præcipui & principalis sui boni evacuant. Quando enim Christus distributo pane dixit: Accipite, edite, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, & distributo poculo benedicto: Accipite, bibite, hoc est enim sanguis meus Novi Testamenti, &c. Consequens necessarium est, Carnaiticam *κρεοφαγίαν* statuendam, si nudæ

EPISTOLA

creature illud corpus & sanguis fuerit. Ut  
 corpus illud sit vivificum, & cibus inconfu-  
 ptibilis in hoc sacro Epulo, ut Vetustas loci  
 est, id inde habeat oportet, quod aeterno & Pa-  
 tri ὁμοσίῳ Filio Dei καὶ ἑνωσῶν unitum est.  
 Ex quibus liquet, Arianos torum salutis nostrae  
 fundamentum convellere.

Qui pro Christo homine phantasma obtru-  
 dunt, ut rectè ait Tertullianus, non salutis Pau-  
 tificem, sed spectaculi artificem, non mortuorum  
 suscitatore, sed vivorum avocato repre-  
 dicant. Quomodo enim semen mulieris con-  
 trivit caput serpentis, si non verè ex muliere  
 tus est redemptor? Nam caro, ut iterum ait  
 tul. non est sine nativitate, nec nativitas sine  
 ne. Quomodo Christus pro nobis passus, cruci-  
 fixus, mortuus, sepultus & resuscitatus verè  
 dicitur, si non verè habuit in se quod figeretur,  
 quod moreretur, quod sepeliretur, quod susci-  
 taretur? Carnè scilicet sanguine suffulam, ossi-  
 bus substructam, nervis intexam, venis imple-  
 xam, quæ nasci & mori novit, humanam sine  
 dubio, ut natam de homine.

Qui cum Nestorio non Deum, sed hominè  
 crucifixum fingunt, ne illi personalem duarum  
 naturarum unionem dissolvètes in negotio sa-  
 lutis ipsum pondus tollunt. Quem Nestori-  
 rorem etiam Zuinglii allæosis in recessu habet,  
 qua ille persuadere Christianis satagebat in di-  
 ctis Scripturæ de Filio Dei mortuo, Domino  
 gloriæ

## DEDICATORIA.

gloriæ crucifixo, principe vitæ interfecto, pro Filio Dei, Domino gloriæ, Principe vitæ humanam naturam intelligi, substituēs in locum personæ naturam. Quam ob causam Lutherus noster, eam tanquam larvam Diaboli ante annos complures magno zelo ex Ecclesia Christi proscripsit. Affinis est allæosi Zuinglii quorundam sectatorum ejus Synecdoche, qua totum pro parte, nimirum personam pro natura poni assē- runt. Unde nonnulli nudè & crudè scripserūt, SOLAM humanam naturam pro nobis esse passam, ubi ipsa persona excluditur.

Hi omnes salutem nostram in sola humana Christi natura collocāt, cum magno salutis nostræ dispendio. Si enim in una lancē nos & peccata nostra collocentur, in altera verò humana Christi natura SOLA, tum nos subsidimus: Si autem ipsa filii Dei persona, ipse Dominus gloriæ, & dux vitæ incarnatus in altera ponatur, tum nos subvehimur in cœlum.

Ita si cum Eutyche unam in Christo naturam statuas, vel naturas confundas, aut cum Schwenckfeldio humanam Christi naturam neges esse creaturam, tum de fraternitate & cognatione nostra cum Christo, & per hanc de unione nostri cum Deo actum est.

Sed & illi, qui divinam gloriam, omnipotentiam, omniscientiam & cultum fiduciæ ac adorationis humanæ Christi naturæ propter unionem personalem & exaltationem ad dexteram

EPISTOLA

throni potentia & majestatis Dei communis  
tam (quam majestatem in statu humiliationis  
sua, respectu dictae humanae naturae, quoad  
sum exinaniverat) negant, hi non solum circa  
articulum fidei de sessione Christi ad dexteram  
patris omnipotentis graviter errant, deponen-  
tes, quantum in se est, humanitatem ejus de  
throno dexterae patris, sed & magnam con-  
solationem circa salutis nostrae applicationem  
operationem & conservationem in nobis, &  
pariter circa officium Christi regium, quod  
ut Deus duntaxat, sed ut Deus & homo in  
sua persona praesens in dominio universae  
gubernatione & defensione Ecclesiae, & vic-  
ta hostium administrat, Ecclesiae eripiunt.

Illis igitur haeresibus & erroribus valere  
suis, omnibus modis danda nobis opera est, ut  
ipsam fundamentum de persona & salvatio-  
nis officio Christi sartum tectum retineamus ac con-  
servemus.

In quo equidem retinendo & propugnando,  
pro talento mihi divinitus concessio, annos  
ginti quatuor in Illustrissima aula Castellana &  
Academia atq; Ecclesia Marpurgensi laboravi.

Et utinam in illa Academia mihi & Domi-  
nis Collegis meis subsistere, & eam doctrinam,  
quam paucis verbis jam delibavi, tradere, &  
vindicare à corruptelis (quod maxime cupie-  
bamus) licuisset haecenus & deinceps, non so-  
lum Ecclesiis Hassiacis, sed & Academiae illi  
tum

## DEDICATORIA.

tum florentissimæ & celeberrimæ optimè consultum esse crederem.

Verùm cum propositis nobis articulis quibusdam, tum doctrinã de persona Christi, tum cæremoniarũ hæctenus usitatarum mutationẽ concernentibus, bona conscientia subscribere minimè possemus, ecce postquam remoti fuimus ab officiis, locũ mutare coacti sumus. Sed commodũ accidit, ut Illustrissimus Princeps ac Dominus, Dn. LUDOVICUS, Hassiæ Landgravius, Comes in Cattenelnbogẽ, Dierz, Ziegenhayn & Nidda, &c. Dominus meus Clementissimus hĩc Giessæ Scholam magnis sumptibus aperiret, quam superiore anno, Domino optimè patriæ nostræ dilectissimæ providente, S. Cæs. Majestas privilegiis Academicis ad instar omnium aliarũ Germaniæ Academiarum ornavit. In qua cum Celsitudo ejus meam etiam operam expeteret, quamvis multæ aliæ satis splendidæ & amplæ vocationes sese mihi offerrent, his tamen dimissis Optimi & Magnificentissimi Principis ita de patria nostra & pluribus aliis regionib. ac ditionibus benè merentis voluntati obsecundandum esse judicavi. In hac igitur Academia Giessena idem salutis nostræ fundamentum jam olim à Prophetis & Apostolis positum ornare & propugnare pro virili mea per Domini gratiam enixè studeo, quemadmodum qui labores nostri fuerint ultra biennium, quo meam operam Academiae

&

EPISTOLA

& Ecclesiæ Giessenæ impêdo, præter alia documenta disputationes nostræ de articulis hoc tẽpore inprimis controversis in lucem editæ restantur. Verùm ut publicè constaret, quodd in fidei professione semper per Domini gratiã mihi similis fuerim, *Commentarium meum*, quem ante Annos quindecim in Academia Marpurgensi publicè in Epistolam Pauli ad Galatas, in qua Apostolus ipsum justificationis & salutis nostrę fundamentum optimè struit & vindicat, proposui, typis committendum, & tum ministris Ecclesiæ, tum SS. Theologiæ studiosis communicandum putavi.

Vobis autem, Amplissimi & Prudentissimi Viri, illam qualemcunq; meam operam dedicare volui, quia quemadmodum antehac Reverendum & Clarissimum virum, Dn. Doctorem *Nicolaum Selneccerum* de Ecclesia Christi optimè meritum Theologum in suo exilio suscepistis, eiq; Superintendentis & Pastoris officium commisistis: Ita & meam, posteaquam Marpurgo dimissus fui, operam expetiistis. Et quamvis vocationem illam egregiam recusare coactus fuerim, propterea quòd patrię me, inprimis sub exortum novæ Scholę & Academię, obligatum esse existimaverim: Spero tamen duos Ecclesię vestrę ministros Rev. & Clarissimum SS. Theologiæ D. Dn. *Albertum Eckartum*, & item Rev. & doctissimum virum, Dn. M. *Henricum Nicolai*, illum Superintendentem & pastorem primarium,

## DEDICATORIA.

marium, hunc autem etiam inter præcipuos Ecclesiastem, ita facturos esse fideliter suum officium, ut Hassiacorum doctorum opera Ecclesiæ vestræ magno emolumento sit futura.

Pro hac vestra singulari in me & alios Christi servos propensione, quam Clarissimum & Consultissimum Virum, D. *Christianum Kege- lium* J. U. Doctorem eximium, Reipubl. vestræ Syndicum dignissimum, sinceræ nostræ confessioni addictissimum, dominū & amicum meum summum in vobis excitare & fovere nullus dubito, hac *Commentarii* mei Dedicatione aliquam grati animi significationem extare volui. Rogo autem vos ea, qua decet, reverentia, ut illam in optimam partem accipiatis.


Dominus Christus Jesus Ecclesiæ & Reipub. vestræ, vobisq; omnibus ex alto benedicat, & omnes nos sub umbra alarum omnipotentis suæ protegat, Amen. Per scriptum Giessæ sub initium hujus currentis anni post millesimum sexcentissimi octavi.

*VV. Amplit. & D.*

*observantissimus*

*Johannes Winckelman SS. Th. D. in  
Academia Giessenâ Professor &  
Ecclesiastes.*

*Ad*



AD REVERENDUM ET CLARISSIMUM VIRUM,

DN. JOHANNEM  
WINCKELMANNUM,  
SS. THEOLOG. DOCTOREM ET  
Professorem primarium, Dn. fau-  
torem, ac amicum co-  
lendum

CARMEN

M. CASPARI FINCKII, LOGICES  
& Physices in Academia Gieslena  
Professoris publici.

**E**T meritò; eternis celebramus laudibus illos,  
Qui sacri exponunt nobis mysteria libri!  
Scilicet illi animo secum divina volutant  
Semper, & exacto trutinantur verba labello.  
Quando Solis equos presens Matuta reducit,  
In Patris & Filii, sanctiq; in nomine Flatus  
Miscent ore preces, & singultantia vota.  
Quando etiam cessat soboles Hyperionis auro  
Fulgere; & longè radiantia tela diei  
Projicere, in dulcem non condunt lumina somnum.  
Ni caput è dio meditentur codice lectum:  
Et quoties sacro tinnitus ab aere sonorus

Edi-

*Editur, è cathedra sinuosa sophismata solvunt,  
Historias referant pacti veterisq<sup>3</sup>, noviq<sup>3</sup>,  
DICUNT vera, simul dicenda tacendaq<sup>3</sup>, callent,  
DUCUNT discentem divina per arva juventam,  
Officiuq<sup>3</sup>, suum FACIUNT fidiq<sup>3</sup>, piiq<sup>3</sup>,  
Atq<sup>3</sup> FERUNT placidè stupidi dicteria vulgi  
Sannasq<sup>3</sup> omnivolas, & tot discrimina rerum,  
Nec trepidant, dum dulce solum mutare jubentur,  
Audire, hinc veteres, ô hinc migrate coloni;  
Sic consummato cursu firmeq<sup>3</sup> retenta  
Justificante fide, & vita feliciter acta  
Tendunt in Cœlum, sedes ubi fata quietas  
Ostendunt illis, & florida gaudia regni.*

*Winckelmann Academia fax fulgida nostra  
Doctorum palmare decus splendore renidens,  
Quàm benè, quàm dextrè commissum Pastor ovile,  
Quaq<sup>3</sup> fide, & quanta docilem cum laude juvêtans  
Erudias, toti res est notissima mundo,  
Et tua que profers præclara reperta loquuntur.*

*Nunc fontes sacros veterumq<sup>3</sup> oracula vatum  
Recludis, calamo ante alios insignior omnes,  
Ornamenta studens ac incrementa mereri.  
Nunc etiam enucleas que protulit ordo virorum,  
Matthæi, Marci, Lucæ, sanctiq<sup>3</sup> Johannis  
Quaq<sup>3</sup> dedit Tharsi Persea gloria Paulus:  
Idem in suggestu dicitq<sup>3</sup>, facisq<sup>3</sup>, quod ipse  
Amramides dixit, fecit; fecere Propheta,  
Dixit Apostolicus cum sanctorum agmine cœtus.*

*Fortunate Pater, quoniam est oblata facultas,  
Ipse tibi ad tua templa feram solemnia dona,  
(Hic pietatis honos, monumentũ & pignus amoris)*

*Ac*

*Ac tibi fessai recinam preconia Vatis,  
Queis opus orditur Psalmorum nobile: Felix  
Oninium felix, qui consilia impia vitat,  
Nec peccatorum graditur per opaca viarum,  
Nec sedet in cathedra crispantum nare cachinnos,  
Sed Domini verbum meditatur nocte dieq;  
Is velut arbor erit felici consita dextrâ  
Propter aqua rivum, fructus qua tempore justo  
Profert, decussis foliis nec languida marcet,  
Quicquid aget, tandem feliciter omnia cedent.*

Argu-



ARGUMENTUM  
EPISTOLÆ D. PAULI AD  
GALATAS.

**G**ALATIA, olim Gallogra-  
cia dicta, minoris Asia re-  
gio fuit, in qua Paulus A-  
postolus Evangelii semen  
sparserat, & Christo Ec-  
clesias recte in fide infor-  
matas plantaverat. Verum post discessum  
jus falsi quidam Apostoli à Judæis, Evange-  
lium Christi quidem amplexis, sed tamē ma-  
gno Zelo legi Moysis, circumcisioni, Sabba-  
this, Neomeniis, aliisque ceremoniis & operibus  
legalibus, ut ad salutem necessariis penitus  
addictis, submissi docuerant, non tantum fidē  
Christi tenendam, sed etiam circumcisionem  
ceremoniasq; legis omnino & necessario  
Christianis observandas. Qua re præter-  
quam quòd luci Evangelii tenebræ offunde-  
bantur, & conscientiis laqueus injiciebatur,  
etiam facilis in errorem illum cum salutis  
nostræ fundamento pugnantem, prolapsus  
esse poterat, veram justiciam coram Deo &

A salu-

salutem nobis non tantum solo Christi merito constare, sed etiam operum & ceremoniarum legis observatione. Ac ut tanto facilius quod volebant, Pseudoapostoli persuaderent, auctoritatem Pauli Apostoli elevarant illos praetextu, quod ille non à Christo Iesu immediate vocatus esset, sed ab heri & nudius tertius ab aliis discipulis Apostolorum missis Petrum verò Iacobum ac Iohannem à Christo ipso immediate electos, qui cum Christo triennium conversati essent, à quibus ipsi missos ex illorum ore veritatem annuntians falso gloriabantur, potius audiendos esse contenderant, utpote non tam adversus legem, jusq; ceremonias rigidos: interim occuli ab eis veram causam, cur Apostoli illi Iudaeis propterea temporis ratione in permittendis aut tollerandis potius legis Mosaeicae ceremoniis se accommodassent: quod ipsum Paulus etiam occasione sic exigente fecerat. Ea itaq; persuasione, quod ipsi à primariis illis Apostolis & columnis Ecclesiae missi, veram salutis rationem docerent, Galatarum nova doctrina leviter attendentium fidem subverterant. Qua re cognita Apostolus tempestive hanc Epistolam sua manu ad illos scripsit, qua ut

*eos in viam rectam reducat, unice laborat.*

---

PARTES EPISTOLÆ.

I. PRIMUM Apostolicæ suæ vocationis auctoritatem graviter asserit & solida ac vera narratione assertionem ejus confirmat, toto primo & secundo ferè capite, cujus narrationis scopus est, se in Apostolatu non minoris, quàm cæteros Apostolos, Petrum, Jacobum, Joannem, &c. auctoritatis esse. II. Circa finem secundi capitis veram justificationis rationem exponit, in hanc sententiam, hominem non operibus legis, sed sola fide Christi coram Deo justificari, qui principalis hujus Epistolæ status est, quàm sententiam deinceps, tertio & quarto capitibus, testimoniis, argumentis, & exemplis Scripturæ confirmat. III. Quinto capite exhortatur Galatas, ut in libertate Christiana, in quam Christus illos suo sanguine vindicaverit, persistant, ita tamen ut illâ rectè utantur non ad carnis licentiam, sed ad charitatem & vitam spiritualem, quam exhortationem antithesi operum carnis & spiritus illo capite diligenter urget. IV. Sexto capite monet, ut sibi charitatis officia mutuò præstent & turbatores illos, qui ipsos à Christo sub legis jugum revocare studeant, devitent, neque amplius ipsi negotium faciant. Utitur interdum vehementioribus redargutionibus,

bus, quas tamen leniore rursus compellente emollit.

Argumentum Capitis I.

Premissa Epistola ἐμπερὶ Φη̄ & salutatione occasionem scriptionis indicat, mota querela de subitanea ipsorum ab Evangelio Christi defectione, mox Evangelii Christi certitudinem graviter asserens. Deinde narrationem subiungit, qua veritatem Evangelii & Apostolatus sui dignitatem à contemptu Pseudoapostolorum vindicat, exponens, qualis ante conversionem suam in Iudaismo fuerit, quomodo ad Apostolatum vocatus sit, quomodo à conversione ultra triennium Apostolatus munus obierit in Arabia, & tandem ad visendum Petrum Hierosolymam profectus sit, quo viso in regiones Syria & Cilicia venerit. Cujus narrationis finis est, quod Evangelium suum & Apostolatus officium non ab hominibus neque per homines, non per Apostolos neque eorum discipulos, sed ab ipso Iesu Christo immediate acceperit, quando quidem in Apostolatu suo sermonem Evangelii annunciaverit, antequam Petrum vel ullum alium Apostolum videret, aut Ecclesis Iudaeae juxta faciem intuisset.

PARTES CAPITIS I.

I. Ἐμπερὶ Φη̄. 2. Salutatio Apostolatus. 3. Occasio scriptionis per querelam de Galatorum defectione exposita, cum gravi

pro

pro certitudine Evangelii contentione. 4. Narratio de sua ante conversionem in Judaeismo conversatione, de vocatione ad Apostolatum, ejus administratione post conversionem per triennium in Arabia, profectio-  
ne Hierosolymam ad Petrum suscepta reli-  
qua; conversione usque ad suam in urbem Hierosolymam reditum, cujus narrationis scopum mox initio attingit.

P A R S I.

*Paulus Apostolus non ab hominibus neq;  
per hominem, sed per Iesum Christum ac  
Deum, &c.*

Ἐπιτομή Ἐπιστολᾶ, quâ autor, qui eam scripsit, nomen suum exprimit, Paulus, qui & Saulus dictus tum ante conversionem, tum etiam ad tempus post conversionem, donec Sergio Paulo proconsuli in urbe Pavo Evangelium annuntiavit, Act. 13. Ubi primum nomen ejus mutatum videtur. Deinde mentionem facit officii sui sese Apostolum nominans, hoc est, nuncium vel legatum, non Principis aut Monarchæ hujus seculi, sed Regis Regum & Domini Dominantium Jesu Christi veri Dei & hominis: officium autem illud suum, hîc magis quàm in aliis Epistolis extollit & prædicat, non ambitione aut æmulatione, à qua alienissimus fuit, sed necessitate quadam, ut illud à contemptu Pseudoaposto-

stolorum auctoritatem ejus deprimentem  
 & consequenter etiam doctrinam ejus in  
 bium vocantium vindicet. Ait itaq; non ab ho-  
minibus scilicet ὧν Apostolus existens aut  
 χειροθεῖς τὴν ἀποστολὴν, id est, demandatum  
habens Apostolatū, indicans, se non con-  
 silio, voluntate, suasu, impulsu aut favore ho-  
 minum Apostolatū invasisse aut suscepisse,  
 ut ita verum & unicum sacrosancti sui mi-  
 nisterii autorem Deum denotet. Addit: non per  
hominem, quā particulā omnem mediante  
 instrumentalem causam suę vocationis excu-  
 dit; ut maximè enim ministerium Apostola-  
 tus à Deo ipsi demandatum esset, tamen me-  
 diante homine Apostolo vel Apostolorum  
 discipulo illi delegari potuisset, sicut Bar-  
 bær, Silær, Lucær, Timothei vocatio ad ministe-  
 rium docendi Evangelium divina, sed tamen  
 mediata fuit. Unde ergo Apostolatū acci-  
 pit? Sed per Jesum Christum, ostendit per  
 Jesum Christum se immediatè ad Apostola-  
 tus officium vocatum. Annè vero Jesus  
 Christus homo non est, cum per hominem  
 se vocatum neget? Maxime verò homo est,  
 sed quia non tantum homo, sed etiam verus  
Deus est, dominus, rex & caput totius Eccle-  
sia, quam ipse suo sanguine acquisitam sa-  
stinet & gubernat ideò hæc persona non ex-  
tra ex aliorum hominum ordine & condi-  
 tione eximitur. Cum Jesu Christo conjungit  
 Deum

Deum patrem, ut ad ipsum Deum patrem suum Apostolatam referat, idq; propter unitatem consilii, voluntatis & potentiae filii & patris in propagando regno, in regenda Ecclesia & extrudendis in messem suam operariis. Pater enim operatur, & filius, & quaecunque pater facit, eadem facit & filius Joh. 5. Cur autem addit, qui (Deus pater) suscitavit eum (Jesum Christum) ex mortuis.

Non absque gravi causa mentionem facit resurrectionis Christi ex mortuis, ut nimirum innuat, se per Jesum Christum vocatum non in diebus carnis seu in statu exinanitionis, infirmitatis ac mortalitatis, sed jam in statu gloriae, cum à mortuis resuscitatus ad dexteram patris regnat, qua ratione sibi praë aliis Apostolis Domini praerogativam attribuere videtur. Deinde commodè Galatis in mentem revocat mortem & resurrectionem Christi, ut in illo solo propter peccata ipsorum in mortem tradito & propter justificationem eorum ex mortuis suscitato & non in operibus legis justiciam & salutem quaerant.

Quod verò Deo patri tribuit suscitationem Christi ex mortuis, non Christo potentiam seipsum suscitandi adimit (est enim una Patris & Christi potentia, ob quam ipse Christus se dicit templum corporis sui destructum, tribus diebus erecturum Joh. 2. & Joh. 10. ait; Ego habeo potestatem ponendi ani-

nam & illam resumendi,) sed sicut filium  
missum & traditum à patre, ita etiam susci-  
tum à patre affirmat scriptura, propter  
quod omnia in tota illa sua Oeconomia Chri-  
stus ex beneplacito patris peregit, atq; pater  
morte filii, ut sufficienti λύτρω placatus, eum  
ex mortuis suscitavit. Porro Ἐπιγενεῖ Paulo  
 alios etiam hujus scriptionis socios adiungit.  
*Et qui mecum sunt omnes fratres.* Ne enim Ga-  
 latae solum Paulū rei novæ studiosum citri-  
 cisionem aliasq; ceremonias veteres im-  
 bare obtenderēt, omnes fratres, qui cum ipso  
 fuerant, idem sentire ostendit, atq; simul fra-  
 ternitatis amantem se modestè declarat. In  
 quibus inscripta est Epistola? Non uni tan-  
 tum sed pluribus Ecclesiis Galatiæ. Seducto-  
 res enim plures Ecclesias turbaverant, itaque  
 etiã omnibus illis hac ἐπιτιμήσι, i. e. redargu-  
 tione καὶ νουθετήσῃ, id est, exhortatione uter-  
 deri voluit. Quod verò lapsis Galatis Eccle-  
 siæ titulum tribuit, causa est, tum quòd non-  
 nulli in doctrina Apostolica constantiam re-  
 nuerunt, tum quòd de lapsis spem redeundi  
 unde exciderunt, concepit.

## LOCI COMMUNES I. PARTIS.

I. De vocatione ad ministerium docendi  
 Evangelium, quæ duplex est, una immediata,  
 quæ non per homines, sed per Christum Je-  
 sum

sum & Deum patrem immediatè sit, quæ peculiaris fuit Prophetarum & Apostolorum, qui testimonio Sp. sancti & miraculorum commendati sunt, quod in doctrina non errent. Altera mediata, quæ quidem à Deo fit, sed per hominem. Ita Paulus & Barnabas in Ecclesiis presbyteros ordinârunt μετὰ χειροτονίας, i.e. cum erectione manuum, quod fuit consensus & suffragii signum ex parte plebis. Ita Apostolus mandatum dedit Timotheo & Tito de ministris oppidatim constituendis Tit. 1. & modū quomodo ritè & legitimè ejusmodi vocatio fieri debeat, præscribit 1. Timot. 3. 2. Tim. 1. Hæc vocatio, si ordine fiat in Ecclesia consensu magistratus, qui nutritius Ecclesiæ est, Esaiæ 49. præeunte cognitione presbyterii vel ministerii de donis necessariis ac vita inculpata, Ecclesiæq; suffragiis, qui hoc tempore ordo servari solet, æquè à Deo est atque prior illa immediata, tantū quod hæc illa gradu inferior est, & ministri ita vocati doctrinam suam à Prophetis & Apostolis accipere tenentur. Testatur enim Paulus ministros ac presbyteros Ephesinos à Sp. sancto in grege Domini positos episcopos ad regendam Ecclesiam Dei, quam acquisivit suo sanguine, Act. 20. Hi certi esse possunt se nomine Christi legatione fungi, Deumq; ministerium & verbum reconciliationis in ipsis posuisse, ut 2. ad Corin. 5. non

tantum de se, sed etiam Timotheo Paulus affirmat. Qui ita ordine ad ministerium vocatur, atque de hac vocatione sua certi sunt, sicut certi esse, exemplo Pauli, debet, hi alacriter verbum veritatis commisso sibi gregianunciant, de presenti Dei auxilio, efficaci per ministerium suum operatione & protectione certo persuasi. Præter illam duplicem vocationem est alia, quæ est ab hominibus tantum & non à Deo, illegitima & inordinata, eum quis vel non instructus donis necessariis, nec præeunte cognitione contra consensum presbyterii, vel refraganti certis ac gravibus de causis Ecclesiæ à politico magistratu obtruditur contra veterem Canonem: *Nemo detur invitis*, vel cum quis à semetipso currit, aut Simoniâ aliisve artibus illicitis se intrudit in Ecclesiam haud consentientem, de quibus Dominus ait Jerem. 23. *Currebant & ego non misi eos.* Dominus enim messis est, qui operarios extrudit in messem suam, Mat. 9. Christus ad dexteram patris dat alios Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores.

II. Ministri verbi officium suum non sistant despici, sed à contemptu exemplo Pauli illud vindicent. Etsi enim de se & suis donis illos moderatè sentire decet, nihil per contentionem aut inanem gloriam agere, & in suis ac privatis causis & honoribus non morose

rosè contendere, tamen si ministerium ipso-  
rum petatur & contemptui habeatur, unde  
periculum sit & doctrinam ipsam vilipendi,  
tum exemplo Apostoli, masculè & animosè  
pro dignitate ministerii contendere, illudq;  
à contemptu asserere debent, sicut Apostolus  
Tito præcipit: Nemo te despiciat Tit. 2.

III. Divinitatis Christi argumentum  
proponitur in eo, quod ei equalis potentia cū  
Deo patre tribuitur in vocandis Apostolis &  
gubernādo ministerio Ecclesiastico, sicut Pau-  
lus testatur, se Apostolatū per Christū Jesum  
& Deum patrem sibi demandatum habere.  
Quis verò Dominus messis est, quem rogari  
præcipit Christus Matth. 9. ut operarios in  
messē suam extrudat, nisi solus Deus? Cū  
ergo Christo potentia in hoc divino opere  
æqualis tribuatur, rectè contra hæreticos cō-  
cludimus, Christum esse verum Deum æqua-  
lis cum patre potentia. Sicut etiam hac de  
causa è communi hominum ordine Chri-  
stum eximit Paulus, dum se per hominem vo-  
catum negat, quia ille non tantum homo sed  
etiam verus Deus est.

IV. Paulus, dū adjungit sibi fratres alios in  
subscribenda Epistola, docet, ministros verbi  
fraternitatis amantes esse debere, neq; eos,  
qui aliis gradu superiores esse videntur, cu-  
jusmodi jam sunt Superintendentes, omnia  
pro suo arbitrio in gravibus negotiis agere  
dece-

decere, sed consilio cum aliis fratribus ministris communicato. Si enim tantus Apostolus, qui pro autoritate Apostolica sine aliorum consilio errantes Galatas redarguere & ad pœnitentiam hortari poterat, alios etiam fratres in hoc instituto suo assumit, quidnialii ministri illo longè inferiores alios etiam fratres in consilium adhibeant? Qua de causa Paulus mentionem facit presbyterii, i. e. totius collegii Ministrorum & Seniorum i. Timor. 4. qui conjunctis operis ministerio sacrosungebantur & ministros alios vocabant & ordinabant.

V. Paulus Galatis lapsis in periculosum errorem titulum Ecclesiæ tribuit, quod notandum est contra Anabaptistas, qui Ecclesiam illam solam dicunt, quæ prorsus pura sit, in qua nullæ hæreses, errores, schismata & scandala sint, sicut etiam Pontificii hoc prejudicio nostras Ecclesias gravant, quod in illis sunt sectæ & scandala. Errant autem toto cœlo, cum Paulus Apostolus i. Corinth. 11. affirmat; Oportet inter vos hæreses esse, & Christus Ecclesiam confert cum agro bono semine confito, in quo noctu dormientibus hominibus hostis sua zizania seminat, item cū reti, quo pisces boni & mali contrahuntur, Matth. 13. Ita licet in Ecclesia Corinthiorum essent non tantum schismata, contentiones, incestus, error de cœna Domini & gravissimus

mus ille cum fundamento pugnans, quo re-  
surrectio mortuorum negabatur: Tamen A-  
postolus eos non tantum titulo Ecclesie Dei  
insignit, sed etiam sanctificatos per Jesum  
Christum & vocatos sanctos appellat. I. Cor.  
I. Quæ elogia congregationi isti, ubi verbum  
Dei prædicatur, & Sacramenta ex institutione  
Christi dispensantur, tribuuntur propter e-  
lectos & sanctum semen, quod Dominus in  
statu Ecclesie etiam maxime deplorato, nem-  
pe septem millia, quæ genua coram Baal non  
flectunt, conservat.

## II. PARS I. CAPITIS.

*Gratia vobis & pax à Deo patre & Do-  
mino nostro Iesu Christo, qui dedit, &c.*

Ἐμπερισην sequitur salutatio, qua pio voto  
Apostolus cum suis fratribus precatur Eccle-  
sias Galatiæ primò gratiam, quâ gratuitum  
Dei favorem ex mera misericordia nos in  
gratiam remissis peccatis acceptantis & com-  
plectentis intelligit. Deinde Pacem, id est, o-  
mnia bona (omnia fausta & felicia) reconci-  
liationem cum Deo præcipue & εὐθυμίαν, i. e.  
tranquillitatem conscientie, quæ gratiæ Dei  
effecta sunt. Quæ præfatio in primis necessa-  
ria erat Galatis, quia periculum erat, ne suo  
prolapsu ex gratia Dei exciderent, & pacem  
Dei amitterent. Exprimit autem authorem  
gratiæ & pacis nempe Deum patrem, qui  
fons

fons est omnis boni & Dominum nostrum  
 Jesum Christum, qui dedit semetipsum pro  
 peccatis nostris, ut sc. illa deleret. Ne enim in  
 Deo patre citra intuitum Christi hæerent,  
 extra quem ( Christum ) gratiæ & paci locus  
 non est, hunc ipsis ob oculos ponit, ut qui sua  
 morte pro peccatis satisfecit, & gratiam &  
 pacem nobis impetravit. In quem finem se  
 Christus Jesus tradidit pro peccatis nostris.  
*Ut eriperet nos è presenti seculo malo.* Secu-  
 lum, id est, tempus per se malum non est, sed  
 sicut alibi Eph. 5. Apostolus dies malos vocat,  
 quibus variæ peccandi occasiones & scanda-  
 la obijciuntur, ita hic seculum malum dicitur,  
ob malitiam & pravitatem, in qua nascimur  
sub potestate tenebrarum, id est Diaboli, in  
hunc mundum, qui in maligno positus est,  
omnis generis malis expositi, quæ tum ipi  
committimus, tum videmus in aliis, tum pe-  
petimur, ut sunt variæ ærumnæ, mors & in-  
teritus. Christus itaq; semetipsum tradidit  
 pro peccatis nostris, ut nos hic quidē in regnū  
 gratiæ suæ transferret, ac tandem ex illis præ-  
 sentis vitæ malis omnibus in regnum gloriæ  
 suæ traduceret. Addit: *Secundum voluntatem*  
*Dei & patris nostri.* Etenim ex beneplacito  
 & nutu Dei, qui & pater noster est ob crea-  
 tionem, ob adoptionem in filios, ob pater-  
 num affectum, filius Christus semetipsum in  
 mortem tradidit sine nostris meritis, quæ hic  
 exclu-

excluduntur, ut merè gratuitū sit beneficium, ut ex ipsi<sup>o</sup> patris nostri volūtate, nos ab omni malo liberatos in vitam beatam transferret.

*Cui gloria in secula seculorum Amen.*

Quandoquidem Apostolus in cogitationem ineffabilis beneficii Dei patris non ex nostro merito, sed solo beneplacito suo donantis filium & filii semetipsum pro peccatis nostris tradentis incidit, *δοξολογία* & gratiarum actione votum suum claudit.

## LOCI COMMUNES II.

### PARTIS.

I. De salutationibus & votis piorum, quibus aliis gratiam & pacem à Deo patre & Jesu Christo precantur, quæ preces fidelium efficaces sunt, teste Domino Matth. 10. cum intrabitis in domum, salutate illam, & si quidem fuerit domus digna, veniet pax vestra super illam, sin minus fuerit digna, pax vestra ad vos revertetur.

II. Rursus argumentum divinitatis Christi nobis Apostolus suppeditat, dum gratiam & pacē non tantum à Deo patre, sed etiā à Jesu Christo Galatis precatur. Cum autem solus Deus bonus Mat. 19. & gratiæ ac pacis author, unde Deus pacis Roman. 15. dicitur, sequitur Christum esse verum Deum patri æqualem.

III. Fundamentum salutis nostræ nobis proponitur in salutatione Apostolica. Principalis

cipalis enim causa est voluntas Dei, secundum  
 quam Christus se pro peccatis nostris tradi-  
 dit, sicut ad Ephes. 1. cap. testatur Apostolus  
 qui prædestinavit nos, ut adoptaret in filios  
 per Jesum Christum in sese, secundum bene-  
 placitum voluntatis suæ. Unde Christus ipse  
 ait, se facere voluntatem patris sui, Johan. 4.  
 Deinde causa meritoria salutis nostræ est  
 Christus Jesus, qui semetipsum tradidit pro  
 peccatis nostris, in quo habemus redemptio-  
 nem per sanguinem ipsius juxta divitias glo-  
 riæ suæ, Ephes. 1. Est enim traditus propter  
 peccata nostra & resurrexit propter justitiam  
 nostram Rom. 4. Ego, Ego, inquit, deleo præ-  
 varicationes tuas & iniquitatum tuarum non  
 recordabor, Esaiæ 43. Finis est ut nos libera-  
 ret ab omni malo, culpæ & pænæ, & tandem  
 plenè ereptos ex præsentis seculo malo in re-  
 gnum gloriæ suæ transferret, quam redem-  
 ptionem corporis nostri & libertatem filio-  
 rum Dei Apostolus appellat, Rom. 8. Finis ul-  
 timus est gloria Dei, quem *δοξολογία* sua Ap-  
 stolus notat, sicut de fine prædestinationis  
 & redemptionis nostræ ultimo disserit, Eph.  
 1. ut laudetur gloria gratiæ suæ, qua charos  
 nos reddidit per illum dilectum. Quod fiet  
 ergo solius Christi secundum voluntatem Pa-  
 tris pro peccatis nostris semetipsum tradi-  
 tis merito redempti sumus, ut gloria gratiæ  
 ejus laudetur, ergo nostra merita, de congruo  
 &

& condigno, adeoq; omnis nostra gloriatio  
exclusa est & sola fides est, quæ hanc gratiam  
& hoc Christum beneficium in promissio-  
ne Evangelii oblatum apprehendit, sicut  
scriptum est: Gratia salvati estis per fidem idq;  
non ex vobis: Dei donum est, non ex operi-  
bus, ne quis gloriatur, Ephes. 2.

IV. Cum Apostolus dicit, Christus Jesus  
semetipsum tradidit pro peccatis nostris, ad-  
ducit nos in considerationem ejus personæ,  
quæ suo nos salvavit merito. Quis enim est  
Jesus Christus? Non nudus homo, sed ipse fi-  
lius Dei, qui carnis & sanguinis particeps est  
sicut hi pueri Hebr. 2. id est, tam verè carnem  
& sanguinem habet filius Dei, quàm nos ipsi  
sed tamen sine peccato. Unde cum Christus  
dat carnem suam pro mundi vita, semeti-  
ipsum filius Dei pro nobis tradere & sanctifi-  
care dicitur. Hinc Dei sanguine Ecclesiam  
redemptam Act. 20. & per mortem filii Dei  
nos liberatos Roman. 5. affirmat Apostolus.  
Qua de causa falsum est, si qui asserere audet,  
solam Christi humanitatem vel carnem pro  
nobis passam aut traditam, ita enim persona  
filii Dei excluderetur. Atqui in hoc nobis  
constat salus nostra, quòd ipse filius Dei se pro  
nobis tradidisse, autor vitæ trucidatus Act. 3.  
& Dominus gloriæ crucifixus I. Corinth. 2.  
dicitur. Sic enim mors CHRISTI infiniti  
meriti est, ac tantæ dignitatis ac ponderis,

B

ut

ut sit sufficiens λύτρον pro peccatis nostri  
 Δοξολογία & gratiarum actio nobis commendatur ab Apostolo pro immenso redemptionis nostræ beneficio, unde Apostolus Coloss. 3. præcipit, quicquid egeritis sermone aut facto, omnia in nomine Domini Jesu facite, gratias agentes Deo ac patri per illum. Hinc tot δοξολογίαι & Psalmi Eucharistici de-vidis. Hinc Apostolus, cum mentionem fecisset summæ miseriæ, in qua ob peccatum constitutus esset, tandem in gratiarum actionem erumpit Rom. 7. c. Quis me, inquam, liberabit ex corpore mortis hujus? Gratias ago D E O per Christum Dominum nostrum, &c.

## III. PARS I. CAPITIS.

*Miror quod ita citò transferimini,*

Occasionem, qua ad scribendam hanc Epistolam impulsus sit, exponit Apostolus mota querela de Galatarum subitanea à puritate Evangelii defectione, quæ effectus, ut tempestivè illos in viam rectam reducere constituerit: *miror quod ita citò transferimini ab eo, qui vocavit vos in gratiã Christi in aliud Evangelium, &c.* Duo objicit Galatis, primum, quod desciverint à veritate Evangelii: alterum, quod tam citò defecerint, quæ inconstantia meritò reprehensione digna est. *Transferri eos dicit à Deo, qui vocavit illos, scilicet,*

cet, per Evangelium in gratiam Jesu Christi, per gratiam intelligens salutem gratis per Christum partam, sicut secundo cap. illam declarat: Filius Dei dilexit me & tradidit semetipsum pro me. Ab hoc Deo devoluti sunt in aliud Evangelium Galatæ, quod cum Christianismo Judaïsmum conjungit, ac salutem non soli gratiæ Christi, sed circumcissioni, Sabbathis, meritisq; operum etiam tribuit, quod dum ita leviter arripiunt, ipsos à Deo transferri ait, quod aliud non est, quam Deum ejusq; gratiam deserere. Hanc doctrinam erroneam impostores Pseudoapostoli Evangelii nomine subdolè venditabant, ut ita facilius homines vocis suavitate inescarent.

Detrahit autem eis larvam Apostolus & subjungit: *Quod non aliud est*, innuens non esse ullum aliud Evangelium, præter verum illud unicum ab Apostolo ipsis annuntiatum vel quod ex ipso didicissent, hoc autem à seductoribus illis perverti dicit, in quos culpam mali rejicit, inquiens: *Nisi quod quidam sunt, qui vos turbant & volunt invertere Evangelium Christi*. Notandum quod Apostolus dicit, Galatarum Ecclesias in fide turbari & Evangelium Christi inverti doctrinâ illa Pseudoapostolorum, qua cum gratia in Christo exhibita circumcissionem & legis opera conjungebant, ac in illis salutem positam do-

cebant, proinde graviter pro veritate ad-  
 titudine unici illius Evangelii à se prædi-  
 ti contendit. *Sed etiam si nos, aut Angelus e caelo*  
*Evangelizet vobis præter id quod Evangelizavi-*  
*vimus vobis, anathema sit.* Ne quis existimet,  
 Apostolum suam prædicationem per inane  
 gloriam decantare, seipsum primò ana-  
 thematizat, si aliud Evangelium præter id  
 quod ab initio ipsis tradidit, annunciet  
 verum illud Evangelium invertere aut im-  
 mutare velit, *aut Angelus è caelo, &c.* Cum  
 Pseudoapostoli Petrum, Jacobum & Johan-  
 nem falsò obtenderent, ut illorum autorita-  
 te ac patrocinio suam doctrinam palliarent,  
 Paulus usq; adeò illorum Apostolorum auto-  
 ritate suum Evangelium inverti posse negat,  
 ut si vel Angelus è caelo Evangelium à se præ-  
 dicatū pervertat, anathema esse debeat. Que  
 vox separationem denotat à communione  
Ecclesiæ fidelium ac Angelorum. At ne quis  
 hanc tam gravem asseverationem, cum dete-  
 statione sui ac cœlestium etiã potestatum, ali-  
 ud præter verum illud Evangelium annun-  
 tiantium, temeritate aut iracundia excidisse  
 putet Apostolo, secundò illam repetit: *Quod*  
*admodum ante diximus & nunc iterum dico,*  
*si quis evangelizet vobis, præter id quod accepi-*  
*stis (scilicet à me ab initio) anathema sit.* Cum  
 verò adversarii beatum Apostolum calu-  
 mniati sint, quod sua prædicatione auram po-  
 pula-

pularem, gratiam scilicet ac favorem hominum caperet, ac ad illorum placitum loquatur, diluit illam calumniam: *Nunc enim* (inquiens) *utrum homines suadeo an Deum? aut quero hominibus placere?* q. d. cum tanta asseveratione & mei etiam detestatione pro Evangelii primùm à me prædicati veritate ac certitudine contendam, ipsi judicate, utrum homines suadeam an Deum, id est, utrum homines annunciem an Deum? Utrum hominibus an Deo me ac doctrinam meam approbare studeam, utrum ad Deum an ad homines mea prædicatione vos adducere mihi animus sit? aut hominum favorem meumque compendium in ministerio meo quæram? Ego verò si censeo: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*, q. d. possem equidem & ego ad placitum, Judæorum fratrum ac cognatorum meorum secundum carnem, prædicationem meam accommodare; hominibus placentia dicere, ac sic illorum odia, indignationem, & persecutionem declinare: at hoc si facerem, si circumcisionem operaq; legis, ut ad salutem necessaria, ad lubitum Judæorum urgere vellem, tum Christi servus non essem sed hominum.

### LOCI COMMUNES III.

#### PARTIS CAPITIS I.

##### I. Ecclesiam posse errare, si posthabito Dei

B 3 verbo

verbo doctrinis hominum attendat. Ideo  
 exemplo Ecclesiæ Galatarū patet, quos Aposto-  
 lus clarè affirmat transferri ab eo, qui vocavit  
 eos in gratiã Christi, in aliud Evangelium, &  
 infra 3. c. quasi quodam fascino esse demen-  
 tatos ait, ut non crederent veritati, ac in tam  
 periculosum errorem incidisse, ut meruissent  
 frustra erga illos laboraverit, & si perseve-  
 rant, gratiã excidisse (Gal. 5.) Christumq; nihil  
 ipsis prodesse, quin etiam à Christo evacuari.  
 Errant itaque Pontificii, qui Ecclesiam errare  
 posse negant, per Ecclesiam intelligentes Ro-  
 manam. Nam etsi vera Ecclesia Christi spon-  
 sa audiens vocem sponsi sui in fundamento  
 salutis non errat, falsum tamen est, quod Pon-  
 tificii Romanam Ecclesiam neutiquã errare  
 posse pertinaciter ajunt. Si enim Galatarum  
 Ecclesia errare potuit, quidnã etiam Romana,  
 cum utraq; particularis sit & verbo Dei ge-  
 nita, totius Catholicæ Ecclesiæ filia sit. Quod  
 verò de cathedra Petri, de successione Apo-  
 stolica & promissionibus Petro factis obtin-  
 dunt, id ad Papam & Romanam Ecclesiam  
 transferre inconsequens est. Nam illud et-  
 iam ad Hierosolymitanam, aliarum Ecclesia-  
 rum quasi matricem, ubi Petrus & alii Apo-  
 stoli docuerunt & ad Antiochenam, ubi ite-  
 dem Petrus sedit, accommodari posset, quas  
 tamen constat errasse, è quibus sicut & aliis  
 celeberrimis olim Ecclesiis Orientis, verbi

divini candelabrum ob ejus contemptum e-  
motum est.

II. Cum verò Galatæ tam citò translati  
sint à vero Evangelio in aliud, apparet, quàm  
facile Satan per sua organa falsos doctores  
Ecclesias turbare & simplices ad defectionem  
solicitare possit. Opus igitur est ministris ver-  
bi & auditoribus vigilantia, ut illi secundum  
præceptum Apostoli, Act. 20. attendant sibi  
ipsi & gregi sibi commisso, hi auditores, ut di-  
ligenter orēt, ne in tentationem inducantur  
& à simplicitate fidei, quæ est in Christo Jesu  
serpentis astutiâ seducantur, 2. Corinth. II.

III. Quod Apostolus de Galatis in erro-  
rem prolapsis tempestive in viam reducendis  
laborat, discant inde ministri verbi, sui esse of-  
ficii, errantes sive Ecclesias sive certas perso-  
nas in viam veritatis revocare. Sicut enim bo-  
ni pastoris est, oves perditas quærere, & ad  
gregem suum reducere, ita etiam Episcopi, à  
Spiritu sancto in grege Domini positi ad re-  
gendam Ecclesiam Dei, partesunt attendere  
sibi ipsi & toti gregi, lupum insidiantem gre-  
gi repellere, ac oves errantes quærere, ne si  
hanc curam negligent, à Domino negligentie  
& perfidiæ accusentur, sicut de perfidis pa-  
storibus populi sui conqueritur graviter E-  
zech. 34. c. Et ita Paulus, 2. Tim. 2. præcipit  
servo Domini, ut erudiat eos, qui obstant  
veritati, si quando Dominus illis det pœni-

tentiam ad agnoscendum veritatem & relinquantur à Diaboli laqueo, capti ab eo ad ipsius voluntatem.

IV. Notandum, quod qui legis opera gratiæ Christi admiscet, aliud falsum Evangelium introducant, Ecclesias in fidei sinceritate turbent & verum Evangelium Christi ab Apostolis prædicatum invertant. Cum in hoc Pontificii in justificationis ac salutis accurrendæ negocio cum fide Christi opera admiscet, contendentes hominem iustificari non sola fide in Christum, cuius solius gratia & merito nobis salus parta sit, sed etiam operibus, quid aliud pronunciare possumus, qui illos turbare Ecclesiam in simplicitate fidei, invertere Evangelium Christi, & qui hanc doctrinam recipiunt, transferri ab eo, qui vocavit eos in gratiam Christi in aliud Evangelium.

V. Præter Evangelium ab Apostolis prædicatum & divinis miraculis ac missione Spiritus confirmatum, alii in Ecclesia locum esse non debere gravissima Apostoli asseveratio bis repetita docet, & neminem quacunq; sanctitatis speciem se veditet, vel Angelum à celo aliquid præter & extra illud verbum Prophetarum, Christi & Apostolorum annuntiantem audiendum, sed pro Diabolo in Angelum lucis se transformante certò habendum, eiq; anathema dicendum. Quandoquidem

igitur

igitur illud verbum Dei voluntate literis consignatum εἰς ἀσφάλειαν, (id est, ut certò nobis de eius certitudine & veritate constet) ut ab omnibus corruptelis purum ad posteritatem transmitteretur, ac columna & firmamentum veritatis esset, illud & non aliud pro Evangelio ab Apostolis viva voce tradito ac prædicato agnoscendum, neque ullæ doctrinæ vel traditiones cum verbo illo scripto pugnantes, quocunq; etiam titulo veniant, sive Apostolorum sive Ecclesiæ, recipiendæ, sed potius in ἐπεροδιδασκαλῆντας illos ac turbatores Ecclesiæ anathema torquendum.

VI. Errores & etiam Doctores falsos ac seductores damnandos docet eadem asseveratio Apostoli. Non enim tantum falsum Evangelium rejicit, sed etiã in ἐπεροδιδασκαλῆντας, id est, diversum docentes, anathema vibrat, sicut & 5. cap. inquit, utinam abscindantur, qui vos conturbant, & 1. Corinth. 16. cap. anathema Maranatha imprecatur osoribus Christi.

Quod notandum venit contra eos, qui ex charitatis falso prætextu parcendum dogmatistis volunt.

VII. Ministros verbi non homines, id est, hominum somnia & decreta, sed Deum, id est, Dei verbum suadere & annunciare, nõ suam, sed Dei gloriam, nec hominum favorem, aut propria commoda quærere decet

exemplo Apostoli, si enim hominibus placētia dicere velint, ut apud illos in gratia sint ac odia & persecutiones declinent, tum Christi servi esse non possunt, sed tanquam hominum adultores ab ipso rejicientur. Quarant itaq; non quæ sua, sed quæ Jesu Christi sunt, non suam, sed Dei gloriam, ut secundum preceptum Apostoli illi sese probatos reddant, 2. Tim. 2. cap.

## IV. PARS I. CAPITIS.

*Notum autem vobis facio fratres.*

Narratio, cujus propositio est, se Evangelium non ab hominibus accepisse, nec per homines, sed à Christo Jesu immediate, ac proinde non minoris in Apostolatu autoritatis esse, quàm reliqui Apostoli Domini sint. Scopus est, ut Apostolatam & doctrinam suam à contemptu Sycophantarum vindicet, qui ad deprimendam autoritatem & sic etiam ad opprimendam doctrinam ejus calumniati fuerant, ipsum esse aliquem discipulum, hominem recens conversum, neque ei aures mox præbendas, sed potius summis Apostolis, qui non tantoperè, ut ipse, à circumcissione & lege Moyfis alieno esset animo. Ita igitur narrare incipit Apostolus: *Notum autem vobis facio fratres, Evangelium à me annuntiatum non esse secundum hominem.* Principalis narrationis propositio est: Se Evangelium

lium suum non secundum hominem, id est, humano ingenio excogitatum, sive humana autoritate aut informatione aliorum hominum prædicasse. Particulam *secundum hominem* divinæ revelationi extraordinariæ & immediatæ opponit, sicut mox propositionem per *Ætiologiam* remotis scilicet falsis & positis veris causis exponit. *Neg, enim ego per hominem accepi ipsum* (videlicet Evangelium) *neg, edoctus sum* (scilicet ab homine) *sed per revelationem Jesu Christi*. Loquitur itaque de revelatione extraordinaria & immediata, indicans se Evangelium suum ab ipso Christo magistro in tertio cælo *ἀπέκωσ* accepisse & didicisse. Huic propositioni confirmandæ narratio sequens inservit, qua suam ante conversionem in Judaismo conversationem edisserit. *Audivistis enim, inquit, meam conversationem quondam in Judaismo quod supramodum, (id est, in summo excessu) persequebar Ecclesiam Dei & vastabam eam*: Præterquam enim, quod in necem Stephani cōfenserat, magnam persecutionem excitabat & promovebat adversus Ecclesiam, quæ erat Hierosolymis, ut omnes dispergerentur per regiones Judææ & Samariæ, præter Apostolos, spirabat minas & cædes, viros & mulieres Christi nomen invocantes vinctos ducere satagebat.

Breviter acerrimus erat hæreticæ pravita-

tis inquisitor & persecutor Ecclesiae Christi, blasphemus & violentus, Act. 8. & 9. Philip. 1. Timoth. 1. cap. Hinc est quod sequitur: *Et proficiebam in Judaismo supra multos aequales meos, nimirum gloria & autoritate & zelo apud Judaeos gentem meam, sicut hunc perfectum sequentia exponunt abundantius: emulatores existens paternarum mearum traditionum.* Ostendit se non gloriae appetitione, sed ex zelo fecisse, quicquid fecerit pro traditionibus à patribus ac majoribus suis acceptis, circumcissione, aliisque ceremoniis antiquis, quas traditiones idèd paternas vocat, quod Hebraeus esset ex Hebraeo & cum ipse Phariseus tum patris Pharisei filius, Actorum 23.

Sed quorsum, quærat aliquis, hæc Apostolus de sua in Judaismo conversatione enarrat? **U**t doceat se, sicut tum non ex ambitione sed zelo licet errante paternas traditiones atque adèd Judaismum cum summo fervore persequendi sanctos & vastandi Ecclesiam Christi propugnaverit: Ita nunc nihil temerè, nihil simulatè, nihil ex ambitione, nihil humano consilio, nihil denique in gratiam hominum agere, sed Domino ita vocante, trahente ac docente Evangelium prædicare, cujus rei repentina illa mutatio argumentum sit, quod ex Phariseo factus sit Christianus, &c. Jam itaque vocationem suam planam reddit; *Cum autem*

autem placuit Deo, qui me segregavit ab utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam revelare filium suum in me, ut evangelizarem ipsum inter gentes, statim non contuli cū carne & sanguine. ] Illuminationem suam & agnitionem filii Dei ascribit beneplacito Dei patris, non suis studiis aut operibus ad gratiam præparatoriis, cum Pharisismo & Judaismo penitus immersus viam Christianorum persecutus fuerit acerrimè. Deinde ait, [qui Deus pater segregavit me ab utero matris meæ,] i. e. ad Apostolatam me sanctificavit secundum æternum suum beneplacitum & decretum. Separationem & destinationem ad Apostolatam sequitur vocatio, & vocavit per gratiam suam. [ Quod factum est in via prope Damascum urbem, cum jam cæco impetu instar lupi rapacissimi in gregem Domini grassaretur ducturus Hierosolymam victos viros & mulieres: ] Tum per gratiam suam & misericordiam vocavit eum Dominus loquens ei de cælo, & posuit eum in ministerio, sicut tota historia conversionis Pauli cum suis circumstantiis huc pertinet, Act. 9. 23. 25. &c.

Quod ergo Dei beneplacitum & decretum fuit? Ad quid segregatus & vocatus est per gratiam Dei? [Ut revelaret, inquit, in me filium suum,] quæ revelatio nō tantum facta est, dum ipse filius Dei ei locutus est, sed etiā  
dum

dum mentem ejus Spiritu suo internè illuminavit ac splendorem in corde ejus dedit & illuminationem cognitionis gloriæ Dei in facie Jesu Christi, ut loquitur 2. Corinth. 4. Ut evangelizarem ipsum inter gentes, qui finis vocationis ejus est, unde statim inquit, non contuli cum carne & sanguine, significans se mox vocanti Deo, nemine consulto, paruisse & Christum Jesum prædicasse Damasci in Synagoga, & deinceps sicut Acto. 9. legimus, sed ita ut non cum carne & sanguine, id est, ullo mortalium consilia communicaverit, aut ab ullo homine doctrinam suam acceperit; Per carnem enim & sanguinem intelligit infirmam hominum naturam, quam Christo jam ad dextram patris regnanti opponit, ut à quo doctrinam & Apostolorum immediatè acceperit. Neque redii (post conversationem meam) Hierosolymam ad eos, qui ante me erant Apostoli, sed abii in Arabiam & denuò reversus sum Damascum. Non quidem ociosus Arabiam perlustravit, sed, ut Acta Apostolica testantur, Christum Dei filium prædicavit, totum triennium, non adhibito in consilium interea temporis ullo Apostolo. Deinde post tres annos redii Hierosolymam ad visendum Petrum & mansi apud eum quindecim dies, alium autem Apostolorum non vidi nisi Jacobum fratrem, (id est, cognatum) Domini ratione carnis, Hebræ-

bræa enim consuetudine fratres etiam con-  
sanguinei & cognati dicuntur.

Cæterum verbum *ισογενῆσαι* non simpliciter  
videre significat, sed cognoscere, percontari, &  
comperta etiam narrare, ut hæc mens Pauli  
sit, se Petrum convenisse, ut illi de sua conver-  
satione & gestis narraret, & ex illo (Petro) de  
curso Evangelii percontaretur, non ut do-  
ctrinã ab ipso, sicut nec à Jacobo, disceret, ut  
quam jam diu prædicasset & quidem non sine  
vitæ discrimine. Hæc quæ ita enarrat Apo-  
stolus de actis suis, tum conversionem an-  
tegressis, tum eam secutis gravi contestatio-  
ne confirmat, quæ verò scribo vobis ecce co-  
ram Deo (scilicet affirmo) vel Deo omnia  
providente ac judicante, teste, quod non mē-  
tiar. Attingit autem ex parte saltem Apo-  
stolatus sui cursum, usq; ad annum 15. à conver-  
sionē suã, quo rursus Hierosolymam rediit:  
Deinde veni in regiones Syriæ & Ciliciæ, ubi  
ministerio docendi Evangelium Christi & a-  
liis pluribus locis inter gentes defunctus est,  
ut videre est in Actis Apostolicis. Ut autem se  
neque ab Apostolis neque Apostolorum dis-  
cipulis, in Judæa versantibus Evangelium di-  
dicisse plenius evincat, affirmat se Ecclesiis  
Judææ de facie non innotuisse: Eram autem  
ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ sunt in  
Christo. Tantùm verò audiverant, nimirum  
fama & rumore ad ipsas sparsa, quod qui per-  
seque-

sequebatur nos aliquando, nunc annunciat  
fidem,] id est, doctrinam Evangelii de fide  
quam quondam vastabam summo illam ever-  
tendi studio [ & glorificabant in me Deum,]  
quasi dicat, non me glorificabant, non Petrus,  
Jacobum vel alios Apostolos aut Magistros,  
sed mei causa glorificabant Dei misericor-  
diam, qui ex me Phariseo cæco, Christianum,  
ex lupo ovem, ex vastatore Ecclesiæ, amicum  
ejus summum, ex blasphemum Apostolum ac  
sincerum unam cum aliis Apostolis Jesu Chri-  
sti præconem effecisset.

Quæ omnia huc tendunt, ut demonstret  
Apostolus, se non ab Apostolis, neque coram  
discipulis Apostolatam & Evangelium acce-  
pisse, ut cum quibus post suam conversio-  
nem conversatus non sit, sed antequam illos  
viderit, totum triennium Evangelium præ-  
dicasse mox posteaquam illud ab ipso filio  
Dei immediatè accepit.

#### LOCI COMMUNES IV. PARTIS.

I. Pauli doctrina nobis commendatur, ut  
quam non ab homine accepit, aut didicit, sed  
per revelationem Jesu Christi, sicut etiam de  
cæna Domini dicit: à Domino accepi, quod  
tradidi vobis, 1. Corinth. II. Cui cum testimo-  
nium dederit Dominus miraculis & signis  
illam *αὐτόπιστον καὶ ἀνυπερέβουον* esse credamus.

II. Exemplum immensæ Dei misericordiæ in Paulo proponitur, quem sè profundo luto peccatorum, superstitionis, Pharisaicæ *ἰσχυροεισεως*, blasphemiam, crudelitatis erga sanctos Dei & cæterorum, quibus planè cooperatus fuit, ereptum non tantum vas misericordiæ, sed etiã in hoc electum fecit, ut ad dignitatem eximii Apostoli & præconis Evangelii sui vocaverit & evexerit. Ita etiam Abrahamum ex Ur Chaldæorum, ubi patres ejus serviêrunt diis alienis, vocatum in gratiam accepit, *Jos. 24.* quem cum suo semine multis benedictionibus spiritualibus & corporalibus cumulavit & patrem omnium fidelium ex sola sua misericordia facere dignatus est. Manassem impium idololatram & Prophetarum Dei persecutorem & interfectorem in vinculis humiliatum ad pœnitentiam vocavit, & misericordia profecutus est, *2. Paral. 33.* Quæ exempla indubitatum illud axioma nobis gignunt, quod Apostolus *1. Timoth. 1.* commendat nobis suo exemplo: Certus sermo & dignus, quem modis omnibus amplectamur, quod Christus Jesus venit in mundum, ut peccatores salvos faceret, quorum primus ego sum, verum ideò misericordiam sum adeptus, ut in me primò ostenderet Jesus Christus omnem clementiam ad exprimendum exemplar iis, qui credituri essent in ipso in vitam æternam.

C

Et

Et ita sanè nos omnes salvos fecit non ex operibus, quæ sunt in iusticia, quæ faciebamus nos, sed secundum suam misericordiam per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos opulente per Jesum Christum, ut iustificati illius gratia heredes efficeremur juxta spem vitæ æternæ. *Tit. 3.* Ita ergo misericordiam consecuti illam cum Paulo prædicemus, & fratres lapsos regamus & confirmemus, sicut Petro Dominus præcipit: & tu conversus confirma fratres tuos.

III. De nullo licet magno peccatore & hoste Christi omnem conversionis & emendationis spem abjiciendam, idem exemplum Pauli docet. Cum enim tanta extiterit Dei misericordia erga hunc, Manassem & alios peccatores, ejusq; non sit numerus, secundum illam Paulo similes & deteriores, si non hac præsentem, attamen alia hora & vel circa vesperam ad pœnitentiam pertrahere potest, sicut alter latro in cruce, qui prius cum facinorum suorum socio Dominum blasphemaverat, postea conversus fuit.

IV. Bona intentio cum zelo etiã conjuncta extra & præter Dei voluntatem certo verbo expressam rejicitur. Paulus enim cum adhuc Judaismo & Pharisaismo addictus esset, bonâ intentione ac zelo pro paternis traditionibus falsisq; cultibus æmulatus, Evangelium

ac Ecclesiam Christi vastavit crudelissimè. Atqui ut ille hanc crudelitatem & falsos cultus non excusavit, quin imò in ea ipsi pereundum fuerat in æternum, nisi singulari Dei misericordia illuminatus illam abjecisset: Ita nec quæ Pontificii bona intentione contra Evangelium Christi suscipiunt, illius prætextu excusari possunt. Non enim, quod tibi videtur, sed quod ego tibi præcipio, hoc facies, *Deut. 4. & 12.*

V. Ministros verbi non temerè ac fortuito casu, nec hominum voluntate ac consilio ad ministerium vocari, sed Dei decreto, beneplacito ac destinatione, docet exemplum Pauli, cum de se dicit: Deo placuit, qui me segregavit ab utero matris meæ & vocavit per gratiam suam revelare in me filium suum, ut evangelizarem ipsum inter gentes. Ita Jeremiæ dicit Dominus *Jerem. 1.* prius quàm te formarem in utero, novi te & antequam exires de vulva sanctificavi te & Prophetam gentibus dedi te.

Etsi verò hæc dicuntur de Prophetica & Apostolica vocatione, quæ extraordinaria & immediata fuit: tamen Dominus messis est, qui alios etiam secundum beneplacitum voluntatis suæ extrudit in messem suam & Sp. S. ponit Episcopos in grege Dei, *Act. 20.* Is media subjicit, quibus, prout ipsi visum est, certas personas donis necessariis instruit, &

in messem suam extrudit. Quod consolab  
 ni sit iis ministris, qui legitimis mediis ad  
 piscopatum aut ministerium docendi per  
 nerunt, ut nôrint, se non proprio motu  
 currisse aut ministerium invasisse, sed se Do  
 mini decreto & beneplacito ad illud separa  
 tos, & per gratiam ejus vocatos. Eadem res  
 cut illis ad fidelitatem in officio, Domino  
 suo, à quo in illud positi sunt, præstandam cal  
 car, ita ad omnis generis labores ac  
 fortiter sustinenda animum addere debet.

VI. Paulus vocatus ad pœnitentiam & A  
 postolatam mox Deo vocanti paruit, non ha  
 bita gloriæ & existimationis suæ apud homi  
 nes ratione: Ita etiam nos de errore conv  
 in viâ redeamus, si maximè fama nostra apud  
 homines periclitetur. Hęc res obstat mul  
 tis principibus Judæorum, de quibus  
 12. legimus: Ex principibus multi crede  
 runt in eum, sed propter Phariseos non con  
 fitebantur, ne ejicerentur ex Synagoga. Dile  
 xerunt enim gloriam hominis magis, quam  
 gloriam Dei.

VII. Christianis licere in rebus gravibus  
 ac feriis jurare docet suo exemplo Apostolus,  
 cum hîc, ubi quæ de sua conversatione in Ju  
 daismo, de conversione ac vocatione ad A  
 postolatam aliisq; actis illam consecutus nar  
 rat, Deo teste confirmat, tum etiam alibi ut  
 2. ad Corinth. 1. Ubi Deum testem invocat in  
 animam

animam suam. Sicut enim in rebus levibus jurare prohibitum est: ita in gravioribus ad gloriam Dei & utilitatem proximi spectantibus, si sanctè juremus ad veritatem persuadendam aliis, cultum Deo gratum præstamus, per cujus nomen ipsius mandato jurandum est, *Deut. 6.* Ut cui laus veritatis, omniscientiæ, omnipotentia ac justiciæ tribuitur.

VIII. Peregrinationes ac innumere molestia à Paulo Apostolo plures annos exantata, admoneant ministros verbi de fidelitate ac sedulitate in officio suo præstanda.

Ita enim fiet, ut tandem etiam cursu suo fideliter consummato promissione illa splendida ipsis *Danielis 12. cap.* facta gaudeant: Intelligentes autem fulgebunt, ut splendor firmamenti, & qui multos erudiunt ad justiciam tanquam stellæ in perpetua æternitate.

IX. Ecclesiæ Judææ glorificantes in Paulo Deum, id est, Dei misericordiam ac gratiam, quod ex Phariseo Christianum, ex immani lupo ovem mansuetam, ex persecutore amicum, ex blasphemum eximium Apostolum & præconem Evangelii effecit, monent nos, Deum glorificandum pro gratia sua tum erga nos, tum erga alios præstita, tum in primis, quod eos, qui Ecclesiæ hostes erant, illi amicos & patronos conciliat, illiq; dat Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores & Doctores ad instaurationem Sanctorum, *Eph. 4.*

Ita omnia Dei opera extollenda & prædicanda sunt, sicut Raphaël Angelus utitur Tobia patri & filio præcepit, Tob. 12. Deus inquit, prædicate, eiq; gratias agite, magnificentiam ei date & coram omnibus, qui vivunt, gloriam (date ei) eorum, quæ in vos contulit. Bonum est prædicare Deum ejusq; nomina extollere, opera Dei honorificis verbis commemorantes. Quamobrem non gravum ejus laudes celebrate. Arcana regis celæ bonum est, opera verò Dei declarare præclarum.

## CAPUT SECUNDUM.

## Argumentum.

*Institutam narrationem persequitur Apostolus & nunc secundam suam profectioem Hierosolymam susceptam & ibi cum primariis Apostolis Petro, Jacobo & Johanne collationem habitam enarrat, quæ huc spectabat, ut non ab illis aliquid disceret novi, vel quod de sua, quam hactenus prædicaverat, doctrina dubitaret, sed potius ut illi, quos Pseudoapostoli ab ipso crederet conabantur, pio ejus cum aliis Apostolis consensu in fide confirmarentur. In quo congressu etiam hoc accidit, quod Paulus in gratiam falsorum fratrum libertati Christianæ insidias struentium Titum circumcidi non est passus, sicut nec Apostoli alii, eum, ut circumcideretur, coegerunt. Et ut Paulus demonstraret, se aliis Apostolis autoritate*

te non minorem, nec ulla in parte passum, ut doctrina Evangelii, vel per externam conversationem periclitaretur, ac si opera legis ad justificationem essent necessaria, ipsi Petro non recto pede ad veritatem Evangelii incedenti Antiochia restitit. Unde mox ad principalem statum Epistola descendit, ostendens hominem sine operibus legis sola fide in Christum coram Deo justificari.

## PARTES CAP. TRES.

I. Narratio de collatione à Paulo cum aliis Apostolis Hierosolymis habita. II. De redargutione Petri ob conversationem veritati Evangelii haud congruentem. III. De principali capite Epistolæ, nempe de justificatione hominis coram Deo.

## I. PARS.

Cum Apostolus breviter saltem in fine precedentis capituli Apostolatus sui cursum post primam cum Petro conversationem attigisset, de quo 13. & 14. c. Act. historia plenior extat, nunc narrat de secunda sua profectioe Hierosolymam suscepta & collatione cum Apostolis habita. Deinde post 14. annos rursus ascendi Hierosolymam cum Barnaba, simul assumpto etiã Tito, nempe anno 15. à sua conversione, ubi synodus illa celebrata fuit, de qua Act. 15. legimus & quæstio decisa, utrum circumcisio & opera legis Mosaicæ ad justificationem & salutem sint necessaria. Assumpsit

autem secum Barnabam & Titum, utrumque insignem Evangelii præconem & illum etiam Apostoli elogio ornatum, *Act. 14.* ut testes essent Evangelii à Paulo prædicati & miraculorum. Non autem temerè ac proprio motu ascendit, sed *secundum revelationem*, inquit, *ascendi, & exposui ipsis Evangelium quod prædico inter gentes.* Cur enim non ab initio, sed post tot demum annos ascendit & exposuit Apostolis Evangelium suum? Nempe hæc est causa, quod cum Petrus, ac alii Apostoli, Judæis ut adhuc infirmis ac rudibus mitterent circumcisionem aliosque ritus in lege Moysis præscriptos, Pseudoapostoli ministrè illam permissionem Apostolorum interpretabantur, ac si legem Moysis cum iis ceremoniis necessariò observandam illi docerent, quod cum Paulus faceret minime, videbatur inter ipsum & alios Apostolos esse dissensio in doctrina, qua non parum offendebantur gentes. Itaque ex Sp. sancti revelatione ac mandato Hierosolymam hanc profectionem suscepit, ut ex illo congressu & collatione ejus cum Apostolis innosceret omnibus, nullam esse inter ipsos dissensionem in doctrina, sed tantum ex æconomia magis permitti ab istis circumcisionem aliasque ceremonias, & ita scandalum tolleretur. *Privatim verò* (inquit) *iis, qui sunt in precio, sc.* Apostolis aut aliis præcipuis in Ecclesia Hiero-

rosolymitana, quæ in magna erat existimatione.

At cur privatim & non coram multitudine? Ne si Evangelium purum absque circumcissionis legisq; Mosaicæ necessitate exponeret, infirmos Judæos nuper ad fidem Christi conversos accuratâ suâ prædicatione offenderet, eisq; occasionem à fide penitus resiliendi dare videretur. Causam autem hujus sui cum Apostolis congressus & collationis exponit: *Ne quomodo in vanum currerem aut cucurrissem*: quæ verba quidam *αἰτιολογῶν* putant esse privatæ illius collationis, ut idè privatim cum Apostolis contulisse intelligatur Apostolus, ne si publicè coram multitudine de circumcissionis legisq; Mosaicæ abrogatione ac libertate Christiana differuisset, parùm tempestivè & fructuosè illud fecisset apud multos infirmos Judæos legi adhuc addictos, & ita cursus ejus esset vanus. Sed rectius de causa totius hujus ad Apostolos projectionis & collationis ex revelatione susceptæ intelliguntur. Ne cursus ejus in Apostolatu suo vel nunc & in posterum inanis esset, vel hætenus parùm fructuosus fuisset, si gentes de doctrinæ ejus veritate dubitarent, aut ipsum ab aliis Apostolis dissidere suspicarentur.

Non enim idè cum Apostolis contulit, ut sibi aliqua dubitatio eximeretur, qua tot  
 annos

annos hæsitasset de doctrinæ suæ veritate  
& certitudine, (noverat enim ex revelatione  
Christi certitudinem suæ prædicationis) sed  
ut inter gentes multi à Pseudoapostolis per-  
turbati viderent, ipsum eandem cum Apo-  
stolis doctrinam profiteri & annunciare, atq;  
sic cursus ejus esset certus & fructuosus sem-  
per, singulari verò facto ostendit, quam in  
Evangelii puritate ab opinione illa, quod cir-  
cumcisio adhuc necessaria sit, asserenda cir-  
cumspectus ac constans fuerit. *Sed neq; Titus  
qui mecum erat, græcus* (id est, gentilis) *cum es-  
set, coactus est circumcidi* (scilicet ab Apo-  
stolis.) At cur hoc? Cùm tamen Paulus postea  
Timotheum Græco patre natum circumci-  
derit, *Act. 16*? Responsio, Timotheum cir-  
cumcidebat propter Judæos, ne infirmos Ju-  
dæos fidem amplexos familiari consuetudi-  
ne cum incircumciso homine offenderet, &  
ut usu circumcisionis reliquos Judæos Evan-  
gelio magis benignos & mites redderet ac  
lucrifaceret. Sed quod Titum circumcidi nõ  
passus sit, sicut neq; alii Apostoli circumcidi  
eum coegerunt, ejus rei causam reddit: *Pro-  
pter verò subintroductos falsos fratres, ubi repe-  
tenda sunt verba illa non coactus est circumci-  
di, quæ omissa sunt ab Apostolo singulari stu-  
dio, brevitatem in hac Epistola affectante, qui  
subintroierant ad explorandam libertatem no-  
stram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in-*  
servi-

*servitutem redigerent.* Indicat itaq; submissos falsos fratres irrepsisse ad explorandam libertatem, quam habent in Christo credentes, liberati scilicet à circumcissione jugoq; legum Mosaicarum per Christum. Quod si itaq; Paulus ac reliqui Apostoli circumcissionem Titi permisissent, tum œconomiam ac permissionem illam legem ac necessitatem interpretati fuissent falsi illi fratres, & deinceps servitutem & jugum circumcissionis legumq; Mosaicarum imponere ex hoc ipso facto Apostolorum cervicibus gentium sategissent. *Itaq; illis submissis falsis fratribus, inquit, neq; ad horam cessimus subjectione,* Sicut enim infirmis Judæis ad infirmitatem illorum curandam non tantum Paulus, sed & reliqui Apostoli ad tempus se accommodârunt, ut paulatim servituti legis illos subducerent: Ita his, qui malo animo irrepsent, ut & Judæos & gentes servituti legis subjicerent, ne minimum quidem cedere voluerunt. *Per subjectionem ad obtemperandum ipsorum voluntati, cur hoc? Ut ita libertas Evangelii, ait, permaneret apud vos,* Galatas & omnes gentes: quæ libertas in eo etiam posita est, quod Christiani à legis Mosaicæ jugo per Christum liberati sunt. Porro ad Apostolatus sui dignitatem asserendam se reliquis Apostolis prorsus exæquat Paulus, ac summam inter ipsos & sese consensionem in doctrina fuisse  
 decla-

declarat: *Ab iis verò, qui videntur aliquid esse, qualescung<sup>3</sup> sanè aliquando fuerint, mea nihil refert: Personam enim hominis Deus non accipit. Mihi enim, qui in precio sunt, nihil amplius contulerunt.* In quibus verbis Syntaxis est notanda. Nam post illa verba, (*ab iis verò qui videntur aliquid esse*, népe Apostolis, duplex parenthesis sequitur: priori conclusa sunt ista: *hæc verba: qualescung<sup>3</sup> aliquando fuerint, mea nihil refert, alteri illa, personam hominis Deus non accipit.* Quod autem dixerat Apostolus: Ab iis verò, qui videntur aliquid esse, id supplendum videtur in hunc modum, nihil mihi accessit, id est, nihil meæ doctrinæ additum vel oblatum est, quo illa corrigi videretur. Transit n. forma sermonis in græco textu per quendam modum ἐναλλαγῆς à genitivo in nominativum, ut mox sequitur: *Mihi enim, qui in precio sunt, nihil amplius contulerunt.*

Sententia itaque Apostoli hæc est, in sua doctrina nihil ab Apostolis, qui in precio & existimatione videbantur esse, correctum fuisse, nihil additum, nihil ablatum, nihil desideratum, aut mutatum. Cum verò Pseudoapostoli ad deprimendam authoritatem & opprimendam doctrinam Pauli reliquos Apostolos Domini, Petrum, Jacobum & Johannem, hoc nomine prætulissent, quod illi familiariter Domino ipso diu usi essent, ejus doctrinam audivissent & miracula vidissent,

Apostolus in Parenthesi addit, qualescunq; sanè illi aliquando fuerint, mea nihil refert, quasi dicat, licet cum Domino familiariter consueverint, ipsum audiverint & miracula viderint, hoc meo Apostolatu ac ministerio nihil detrahit, hoc ad elevandam autoritatem meam nihil momenti habet, & mox altera parenthesi αἰπολογικῶς addit.

Deus personam hominis non accipit, id est, externam speciem, autoritatem, dona, miracula non respicit, sed sinceritatem fidei, doctrinæ & confessionis. Et ut omninò constet, nihil inter Apostolos alios ac ipsum, quoad Apostolatam ac doctrinam, discriminis esse, subjungit: Sed è contrario, cum viderent, mihi concredendum esse Evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis, (qui enim in Petro efficax fuit ad Apostolatam circumcisionis, efficax etiam in me fuit inter gentes) & cum cognoscerent gratiã datam mihi Iacobus & Cephas (qui est Petrus: Cephas enim linguâ Syriacâ petram significat) & Iohannes, qui videntur columna esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, ut nos inter gentes, ipsi vero in circumcissione, id est, inter circumcisos Judæos: Ubi sub intelligendum, Apostolatu fungerentur, tantum ut pauperum memores essemus. Quod studui & ipsum facere. Omninò hoc agit Apostolus, ut se Petro aliisq; Apostolis in Apostolatu & ministerio exæquet, ac suam cum reliquis

Apo-

Apostolis in doctrina consensionē & societatem summam demonstrat. Ipsos enim Apostolos vidisse ex relatione Pauli & mutua collatione, ipsum divinitus vocatum ad prædicandum Evangelium præputii, id est, inter gentes, per præputium enim intelligit *περὶ τῶν προσηλυτῶν* gentes præputium habentes, id est, circumcisas, sicut Petrus vocatus esset ad annūciandum Evangelium circumcisionis, id est, inter Judæos circumcisos, per eandem *περὶ τῶν προσηλυτῶν*. Nō enim de duplici Evangelio loquitur Apostolus, sed de uno ac eodem, quod Paulus gentibus incircumcisis & Petrus Judæis circumcisis annunciabat. Quod autem unum sit & idem ministerium Petri ac Pauli, ejus rei rationem reddit in parenthesi: *Qui enim in Petro efficax fuit ad Apostolatū circumcisionis, in me efficax fuit inter gentes*, indicans unum & eundem Dominum & Spiritum per Petri prædicationem inter Judæos & Pauli ministerium inter gentes efficacem fuisse, dedisseq; sermoni successum, ut labor utriusq; non esset irritus, additis verbo signis & miraculis. Unde congruenter sequitur: *Et cum cognoscerent gratiam datam mihi*, hoc est, dona Spiritus sancti in prædicando Evangelio magno cum fructu & edendis ad confirmationem doctrinæ miraculis, *Jacobus & Petrus & Iohannes, qui videntur columna esse*, id est, primarii ac summæ autoritatis Apostoli in

li in Ecclesia, *dexteram dederunt mihi & Barnabe societatis* in signum fidei, *ut nos* (ego & Barnabas) *inter gentes* maximè, *ipsi verò in circumcissione*, id est, (inter circumcisos Judæos præcipuè, Apostolatu fungerentur. Etsi enim Petrus, Jacobus & Johannes præcipuè inter Judæos ad tempus Evangelium prædicârunt, non tamen dubium est, quin etiam per occasionem gentibus sermonem annuntiaverint, maximè verò Petrus & Johannes, tantum scilicet monuerunt nos, *pauperum ut memores essemus.*

Loquitur de pauperibus in Judæa, qui in persecutionibus ex suis bonis excussi erant ab incredulis, & ad paupertatem redacti, in primis in annonæ caritate, quæ tēpore Claudii invaluerat, *Quod ipsum & studui*, inquit Apostolus, *facere*, pauperes enim sibi diligenter & fideliter habuit commendatos, cum passim inter gentes Eleemosynas pro sanctis in Judæa pauperibus collegerit, *ut 1. Cor. 16. 2. Cor. 8. & 9. c.* testatur. Ita igitur summa declarata fuit inter Paulum & reliquos Apostolos consensio in doctrina & quasi ex pacto datis dexteris, facta fuit inter ipsos confæderatio, laborum partitio & cura pauperum.

## LOCI COMMUNES I.

### Partis.

- I. Quanti inter sit, ministros Ecclesiæ fovere

vere consensum & concordiam in doctrina quod vel species discordiæ plurimum cursu Evangelii & profectum auditorum impediatur. Paulus enim licet consentiret cum aliis Apostolis in doctrina, tamen cum genere Pseudoapostolis hinc inde persuasæ essent ipsum ab aliis Apostolis dissidere in doctrina cursusq; ejus videretur vanus & infructuosus, iter suscepit longum & difficile ad tollendam vel speciem dissensionis. Debent igitur ministri cauti esse in alendo consensu adversarii hinc Ecclesias distrahendi occasionem arripiant, & hinc schismata & scandala orientur, doctrina in dubium vocatur, alia incommoda promanent. Concordia fideliorum Dei gloria est summa, teste Christus *Ioh. 17.* gloriam, quam dedisti mihi dedisti ut sint unum, sicut nos unum sumus. Ubi concordia est in Deo & in verbo veritas fundata, ibi Dominus laboribus piorum ministrorum benedicit, sicut *Psal. 133.* Spiritus S. ostendit; Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum, &c. qui sic clauditur: quoniam ibi promisit Dominus benedictionem & vitam usque in seculum. Demus igitur operam, ut simus unum, doceamus unum, fateamur & unum.

II. Peregrinationes à verbi ministris & ab unoquoq; Christiano, cum vocatio ita exigat, susceptæ Deo placent. Discursationes autem

rem non necessariae, quibus homines ociosi & inquieti aliis bonis molesti sunt, Deo displicent. Multò verò magis illæ peregrinationes, quæ ad expianda peccata suscipiuntur ad Sanctorum simulachra vel reliquias, ut in Papatu factum esse novimus. Christus vult nos ad se venire & non ad Sanctos, *Math.* II. Accedimus autem ad Christum, cum verbum ejus audimus. Deinde appropinquamus Christo non gressibus corporis, sed motibus cordis, id est, vera fide ac piis precibus.

III. Paulus privatim cum Apostolis contulit, non coram multitudine, unde discimus, non semper doctorum collationes & disputationes coram vulgo ad edificationem conducere, sed satius esse interdum, ut ipsi privatis colloquutionibus pium in doctrina consensum foveant.

IV. Ne minimum cedendum falsis fratribus in rebus *ἀδιαφόροις*, id est, indifferentibus. Etsi enim propter infirmos rebus per se mediis uti vel non uti possumus, ne illos offendamus, sed potius ut alios etiam lucrificiamus: Ita in gratiam falsorum fratrum, qui libertati Christianæ insidiantur, nihil faciendum, ne permissionem & œconomiam nostram ipsi legem interpretentur & necessitatem, ac si conscientiae ratione ita simus obstructi. Paulus propter infirmos Judæos Timotheum circumcidit *Act.* 13. Sicut etiam se-

cundum legem vota Nazaræorum suscepit quin omnia factus est omnibus, ut omnes crucifaceret, 1. *Corinth.* 9. At propter falsos fratres & hypocritas Titum circumcidi non est passus, ne libertatem Christianam proderet, ac si necessaria esset ad cultum & salutem circumcisio. Ita nunc liberè in Ecclesiis Augustanis utimur quibusdam ceremoniis per se indifferentibus, quarum usu etiam infirmis gratificari ad curandam ipsorum infirmitatem possumus. At ubi ab adversariis veritatis lex & necessitas illarum rerum imponitur, vel astutia quadam, aliquo specioso pretextu earum usus aut intermissio exigatur cum veritatis dispendio, vel opinio falsa affuitur, ibi ne ad momentum illis cedendum est, ne hac subjectione nostra nos in servitutem redigant, libertas Christiana perditur, conscientia obstringantur ac errores confirmantur.

V. Semper in piorum ceteribus falsos fratres esse, qui Ecclesiam perturbent, docet Ecclesia Apostolorum ac omnium temporum experientia. Sicut Paulus se pericula etiam sustinuisse testatur inter falsos fratres, 2. *Corinth.* 11

VI. Deum personam non accipere, testatur Apostolus, personam autem accipere est respicere in hominibus externam aliquam speciem & conditionem, ut sunt divitiæ & pau-

paupertas, potentia, infirmitas, sexus, ætas, vitæ genus, autoritas, honores, sapientia carnis, eruditio, miracula aut alia dona externa & facies, postpositâ verâ fide, timore Dei ac cordis sanctitate, sicut Pseudoapostoli Apostolos Domini propter externam speciem Paulo præferebant, illius autoritatem elevantes. Ita apud Deum non est *πρεσβωποληψία*, ut qui inspicit fidem in corde, timorem Dei, doctrinæ puritatem & confessionem. Ita Petrus *Act. 10.* inquit, cum Cornelium gentilem in gratiam à Deo acceptum luculentis testimoniis cognosceret: Re ipsa comperio, quod nō sit personarum respectus apud Deum, sed in quavis gente, qui timet ipsum & operatur iusticiam, acceptus est illi.

VII. Modestia commendatur Christianis, exemplo Apostolorum, in Paulo vocacionem ac gratiam Dei agnoscentium. Ita simus omnes alieni à *φιλαυτία*, qua sibi ipsi solum arroganter quis placet, sed etiam in aliis dona Dei agnoscamus & veneremur, sicut Apostolus monet, ne quis arroganter de se sentiat supra quàm oportet sentire, sed ita sentiat, ut modestus sit & sobrius, ut cuiq; Deus partitus est mensuram fidei, *Roman. 12. cap. vide ad Philip. 2.*

VIII. Efficacia ministerii non à ministrorum persona dependet, sed à Spiritu sancto, ut hic testis est Paulus, cum inquit, qui efficax

fuit in Petro ad Apostolatū circumcisio-  
 efficax fuit & in me inter gentes: Hinc mi-  
 nisterium Spiritus dicitur, 2. Cor. 3. & Christus  
 ipse loqui per Apostolos, Rom. 15. Non autem  
 loqui quicumque eorum, quæ non efficit Chris-  
 tus per me. Hic dat voci suæ vocem roborem  
 Psalm. 68. Ita scilicet ministerium & labor  
 ministrorum non est inanis in Domino, 1.  
 Cor. 15.

XI. Pontificem Romanum, dum se Pe-  
 tri successorem esse gloriatur, non esse mi-  
 versalem totius Ecclesiæ Episcopum, quia  
 Petrus universalis Episcopus & caput Eccle-  
 siæ non fuit. Quandoquidem enim Petrus,  
 Jacobus & Johannes cum Paulo & Barnaba  
 q. pactum inierunt, ut hic inter gentes, ipse  
 verò inter Judæos Apostolatu fungerentur,  
 consequens est, Petrum non fuisse universalem  
 totius Ecclesiæ Episcopum, sed præcipue Eccle-  
 siæ Judæorum, unà cum aliis Apostolis: Paulus  
 autem cum Barnaba multò plures Ecclesias  
 plantasse inter gentes, piamq; pro illis solici-  
 tudinem & curam gessisse, cum ab Hierusa-  
 lem & circumjacentibus regionibus usque  
 ad Illyricum impleverit Evangelium Christi,  
 Rom. 15.

X. Cura pauperum, post prædicationem  
 verbi, incumbit ministris Ecclesiæ, imò om-  
 nibus Christianis. Exemplo est Paulus hic,  
 ad Rom. 15. 1. Cor. 16. 2. Cor. 9. & passim. Ad om-  
 nnes

omnes pertinet, quod 6. c. hujus Epistolæ monet Paulus: Bonum autem faciendo ne defatigemur, tempore enim suo metemus non defatigati. Itaque dum tempus habemus, operemur bonam, cum erga omnes, tum verò maximè erga domesticos fidei.

## II. PARS II. CAPITIS.

*Quum autem venisset Petrus Antiochiam.*

Sicut hactenus beatus Apostolus demonstravit doctrinam & Apostolatam sibi non ab hominibus neque per homines conceditum, sed à Christo Jesu immediatè, seq; reliquis Apostolis Domini in Apostolatu non inferiorem, hoc fine, ut illum à contemptu Pseudoapostolorum vindicaret: ita etiam sequenti narratione de justa Petri præcipui Apostoli reprehensione autoritatem Apostolatu suo asserit, ne reliquis Apostolis vel doctrina, vel dignitate, cedere videatur. Simul autem etiam puritatem doctrinæ de libertate Christiana stabilit. Ita igitur pergit narrare Apostolus: *Quum autem venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Hieronymus græca verba, *καὶ ἐπὶ τὸ πρόσωπον*, reddit secundum faciem, quasi non ex animo, sed simulatè, secundum faciem tantùm, Paulus reprehenderit Petrum, quam reprehensionem simulatam Petrus dissimulaverit. Sed

notandum, verba illa rectius reddi, in facie  
 ut idem sint cum eo, quod postea dicitur  
 πρὸς πάντων, id est, coram omnibus. Sed  
 enim Paulus Petrum redarguit & non simi-  
 latè. Dicit enim in præcedente capite: *Coram*  
*Deo testor, quod non mentiar*. Deinde verbum  
 καταγνωσθέν ἦν, id est, condemnat erat  
 idem est, quod καταγνώσεως ἄξιός, quasi dicitur  
 damnabilis per ἐναντιότητα Hebræis usitatum  
 nec prorsus Græcis & Latinis ignotam, quæ  
 optatus pro optabili, dilectus pro amabili  
 damnatus pro damnabili, perfectum pro per-  
 ficiendo accipitur. Quæ verò causa fuit leve-  
 ritæ illius reprehensionis. Nam antequam qui-  
 dam venissent à Iacobo, id est, Hierosolymis  
 ubi Iacobus commorabatur, unà cum genti-  
 bus edebat. Quum autem venissent, subdixit  
 & separavit ab illis, metuens eos, qui ex circum-  
 cisione erant, id est, Judæos Hierosolymitanos.  
 Quod Petrus cum gentibus conversabatur,  
 unà cibum cum illis capiens, in eo se non  
 peccare sciebat, quandoquidem Dominus il-  
 li visione ostenderat, gentiles nunc ad com-  
 munionem regni Christi vocandos, non pro  
 immundis, neque cibos, aliàs secundum le-  
 gem immundos, pro impuris habendos. Et  
 proinde Cornelii gentilis hominis & dome-  
 sticorum ejus consuetudine ac convictu jam  
 antea rectè usus fuerat, Act. 20. At in eo la-  
 psus est & peccavit, quod quum advenissent

*Hierosolymita, sese ab illis subduxit & separavit, metuens eos, qui erant ex circumcissione. Qui quidem Evangelium Christi erant amplexi, sed tamen circumcissione & legi Mosis pertinaciter erant addicti: quo ex genere ii etiam fuerunt, qui controversiam illam moverunt, Act. 15. dicentes: Nisi circumcidamini, secundum morem Mosis, salvi esse non potestis. Volens igitur consulere illorum infirmitati, ne isto cum gentibus convictu offenderentur, mox ubi advenerunt à gentibus, se subduxit. At hoc pacto gentibus ingens scandalum dedit, earumq; fidem non parùm concussit, ac si ista sua conversatione & facto peccasset, & gentibus, si salvari velint & Deo placere, etiam secundum legem Mosis ac instar Judæorum vivendum esset. Etsi igitur Petrus satis sciebat, legem Mosis servari, non ex necessitate, ut quæ jam abolita esset, sed ex consuetudine, propter infirmos Judæos, ut illi paulatim ex legis jugo subducerentur, neque consuetudine gentium se inquinari, sicut jam ante docuerat, Act. 11. tamen facto illo & exemplo gentilium simplicem ac puram fidem non parùm labefactavit & ad Judaizandum eos coëgit. Potius rationem illum habere decebat gentium, ne illarum fidem concuteret, quàm infirmorum & nimis superstitiosorum Judæorum, quos instruere de libertate Christiana multo convenientius erat, quàm illam in periculum abducere. Et*

Et sanè hoc factum Petri ita fuit perniciosum, ut ipsius exemplo etiam alii in eandem simulationem abrepti fuerint, sicut Apostolus subjungit: *Et simulabant una cum illo & reliqui Iudei, ita ut & Barnabas in illorum simulationem abduceretur.* Moti enim auctoritate & exemplo tanti Apostoli tum alii Iudei, tum Barnabas etiam, eximius ille doctor simulabant, se ista sua cum gentilibus consuetudine peccasse. Itaque justam reprehendendi causam sibi fuisse ait Apostolus: *Sed quum vidissem, quod non recto pede incederent ad veritatem Evangelii, dixi Petro, coram omnibus, &c.* Recto pede incedere opponitur hic claudicationi. Petrus enim & qui cum eo erant, Iudei & Barnabas, in utramque partem claudicabant sua illa simulatione, gentium convictu in absentia Hierosolymitanorum utentes, & illis advenientibus, illum convictum gentium defugientes, ac Judaismum simulantes. Hoc scilicet non est *recto pede ad veritatem Evangelii incedere*, id est, præscriptum doctrinæ Evangelii puræ & sinceræ de libertate Christiana, qua in Christum credentibus circumcisio, delectus ciborum, aliiq; ritus legis sublati sunt, cum illa potius hac simulatione periclitetur. Rei itaque indignitate motus Paulus Petrum in os reprehendit, ut istius simulationis autorem, inquit: *Si tu, cum sis Iudeus, gentiliter vivis & non Iudaicè, quid gentes*

*cogis Judaizare?* quasi dicat, Si tu Petre, qui Judæus es genere & circumcisus, cum gentilibus conversaris & illorum more vivis, & nō Judaicè, sciens scilicet discrimen ciborum ac ritus legis Mosaicæ Christianis sublatos, neque ad leges illas Mosis cujusquam conscientiam nunc adstrictam, cur advenientibus Judæis à gentibus te subducis ac separas, ac si isto convictu illarum peccasses, & ita tua illa subductione repentina gentium fidelium conscientias ad Judaismum adstringis, ut illæ in eam cogitationem incidant, ac si circumcisio, discrimen ciborum, ac tota lex Mosis ipsis observatu sit necessaria, si modo Deo placere ac salvari velint? Hæc reprehensio Pauli severior erat necessaria, ut illa *aita-ξία* Petri corrigeretur, scrupulus gentium conscientias injectus eximeretur, ne earum fides labasceret, & libertas Christiana in discrimen adduceretur. Quod itaque Hieronymus, & quos ille superioris ætatis Origenem, Alexandrum, Didymum, patres allegat, & Græci etiam scriptores, Chrysof. Oecumenius, &c. ad extollendam Petri autoritatem contendunt, Paulum simulatè reprehendisse Petrum, ac Petrum illam simulationem Pauli dissimulasse, ut fuerit quædam sancta inter illos Apostolos, sicut illi sentiunt, simulatio ac dissimulatio & quasi quædam dispensatio ad tollendum scandalum, quod gentibus datum

videbatur, id verò meritò rejicitur, ut à veritate alienum.

Sicut etiam illud, quod Eusebius ex Clemente Alexandrino & ex illius historia scholia græca allegat, Petrum illum à Paulo reprehensum non fuisse Apostolum Petrum, sed alium ex 70. discipulis Domini, ut ita Petro sua supra alios Apostolos eminens constet dignitas. Nam ita argumentum Apostoli, quò vindicans Apostolatus sui autoritatem se reliquis Apostolis non inferiorem esse docere vult, nullius roboris esset, si actio hæc esset simulata. Et quid hoc momenti haberet ad dignitatem suam extollendam, si aliquem vulgarem Domini discipulum redarguisset. Quin etiam dum illi patres, quotquot sunt, Petri autoritatem extollunt, quid aliud agunt, quàm quod interim Pauli doctrinam & autoritatem deprimunt. Si verò ideò, ne Petrus errasse videatur, Pauli reprehensio simulata fuit, facilè multa alia, quæ in scriptura nobis in fide & moribus difficilia occurrunt, ut simulata interpretari possimus, & sic totius scripturæ autoritas periclitaretur. At cum in hac narratione sua Apostolus antea sanctè affirmaverit, *in iis, quæ scribo corã Deo, non mentior*, quomodo, quod ipse de reprehensò à se Petro refert, simulationem interpretabimur? Quod autem simulatam fuisse reprehensionem censent, propterea quòd Petrus & alii

Apostoli post acceptum Spiritum sanctum non erraverint, concedimus sanè in dogmatibus fidei non errasse, sed errasse dicimus Petrum in conversatione, quæ cum scandalo conjuncta fuit. Non enim Petrus coëgit gentes Judaizare docentis imperio, sed conversationis exemplo, ut ait Augustinus. Neque id in patrocinium sententiæ suæ adducere potest Hieronymus, quod ait, Paulum idem fecisse, quod Petrus, nempe propter Judæos Timotheum circumcidisse, *Act. 16.* vota Nazæorum suscepisse, *Act. 18. & 21.* ac ita Judaicè vixisse. Nam illud extra casum scandali à Paulo factum est, propter infirmos Judæos, non offensis gentibus. Itaque Augustinus Hieronymi sententiam redarguens, rectius hac in parte sentit, sicut videre est in Epistolis Augustini & Hieronymi, *Epist. 8. 9. 11. & 18. & 19.*

## LOCI COMMUNES II.

### Partis Cap. II.

I. Sanctos interdum graviter errare docet exemplum Petri Apostoli. Etsi enim non erravit in doctrina fidei, Sp. sancto ipsum in omnem veritatem ducente, erravit tamen in conversatione, per imprudentiam præbens scandalum gentibus, ac conscientias earum hunc scrupulum injiciens, ac si Judaismus ad salutem sit necessarius: Non enim ex toto  
sunt

sunt renati in hac vita sancti, circumferentem carnem & sanguinem: Unde nonnunquam graviter illos labi contingit, sicut exemplum Aaronis, Mosis, Davidis, Salomonis, Hiskiae, Petri, Thomæ & aliorum Sanctorum insignium docent, quibus admonemur infirmitatis humanæ, quod non sit hominis via ejus, nec sit viri dirigere gressus suos, *Jerem. 10.* Hi majorum lapsus sint tremor minorum, ut ait Augustinus in *Psalms. 51.*

II. Sanctos præ aliis autoritate pollebentes, ac imprimis ministros verbi, cum errant & peccant, plurimum nocere exemplo, docet exemplum Petri, qui præposterè à gentium subducens se convictu, in eandem simulationem alios Judæos & Barnabam ipsum abripuit. Ita filii Eli sacerdotis peccato suo, nimium contemptu Dei & sacrificiorum ejus, occasionem aliis etiam contemnendi sacrificium Domini dederunt, *1. Sam. 2.* Caveant igitur sibi ministri Ecclesiæ, ne mala conversatione scandalum dent Ecclesiæ & aliis hominibus, sed potius prudenti & circumspectâ conversatione sint exemplaria gregis, *1. Pet. 5.*

III. Falli, qui veritatem doctrinæ ex autoritate eorum, qui Ecclesiæ præsunt, affirmant, quia etiam magni viri hallucinari possunt: Petro hîc errante & in errorem secum trahente Barnabam, eximium virum & alios

Paulus

Paulus puritatem doctrinæ conservabat. Ita tempore Helix, si externam faciem Ecclesiæ spectes, omnes sacerdotes errabant, ut ipse se solum reliquum ex veris Dei cultoribus putaret. Proinde qui ex facie externa puritatem doctrinæ & cultus tum judicare voluissent, toto cælo errassent. Et ita etiam superioribus sæculis nulla ferè externa species Ecclesiæ veræ fuit, si Pontifices, Cardinales, Episcopos, Prælatos, & alios, qui in autoritate erant, spectasses. Attamen Dominus sibi sanctum semen, & reliquias fundamentum tenentes, conservavit.

IV. Sancti de errore admoniti, non pertinaciter illum defendunt, sed dant locum admonitioni ac veritati, cogitantes illud rectè dictum, errare humanum, sed in errore persistere Diabolicum. In hoc illos imitemur, ut lapsi in errorem mox agnito illo surgamus, non majorem famæ nostræ quàm salutis & Ecclesiæ offensæ rationem habentes. Ita Siracides monet 4. cap. ne ulla in re contradicas veritati, quin potius te in mendaciorum inscitia pudeat: ne verearis confiteri peccata tua, nec cursum fluminis vi cohibeas.

V. Proinde inter sanctos fraternæ correctiones locum habeant, ut qui vident alios non recto pede incedere ad veritatem Evangelii, aut vocatione sua indignè ambulare, illos fraternè ac moderatè admoneant, errantes

res autem benè monentibus non obstinate recalcitent, apud animum perpendentes illud David. *Ps. 141. Percutiet me justus in misericordia & increpabit me: Oleum preciosum iderit mihi, non frangens caput meum, Melior est enim, ut inquit Salomon, increpatio manifesta, quàm amor absconditus, meliora sunt vulnera corripientis, quàm fraudulenta oscula diligentis, Proverb. 27. Et magis amat objurgator sanans, quàm adulator ungens caput, ut rectè scribit Augustinus, Epist. 8. ad Hieron. Ubi in hac ipsa causa, ob non rectè expositum hunc locum Apostoli, illum redarguit. Hoc pertinet illud quod *Proverb. 25.* scriptum legimus, ut in auris aurea & ornamentum obnizi est, qui arguit sapientem, cui est auris obtemperans.*

VI. Pontifex Romanus in hoc Petro assimilatus est, quòd hic increpationem Pauli admisit & bonam in partem accepit, ille verò etsi innumeras animas secum coacervatim in barathrū inferni abducat, nemo tamen dicat, quid facis, *dist. si Papa.* Cum ergo in Pontifice illo nec sit fides Petri, nec opera ejus, ergo nec successio Petri penes illum esse potest.

VII. Indecens est, si Doctores Ecclesiæ aliis onera imponunt, quæ tamè ipsi non attingunt, sicut Paulus Petro objicit, si tu Judæus cum sis, gentiliter vivis & non Judaicè, quid gentes cogis Judaizare? Ita Christus Pharisæos

sæos reprehendit imponentes aliis onera, quæ ipsi ne minimo digitulo attingerent, *Math. 23. Et Rom. 2.* Apostolus Judæos hoc nomine redarguit, dicens: qui doces alium, te ipsum non doces, qui doces, non furandum, furaris, &c.

VII. Admodum probabiliter ex tota hac narratione Pauli docetur, falsum esse, quod Pontificii ex Ægesippo contendunt, Petrum Romæ 25. annos resedisse & cathedram constituisse, in qua jam Pontifices ejus successores sedeant. Nam primùm hoc posito, quod mors Petri sicut & Pauli collocetur in annum à resurrectione Christi 36. & 13. Neronis, quo ipse etiam Nero sibi mortem conscivisse dicitur, tota hæc narratio Pauli commentum illud 25. annorum suspectum vel planè falsum reddit. Nā Paulus, qui primo anno, post Christi in cælos ascensionem, conversus est, tres annos versatus est in Arabia, & tum demum Hierosolymam ascendit, ad visendum Petrum, ubi Petrus Romæ nondum fuit. Dehinc Evangelium prædicavit in Syria & Cilicia, ut ex Actis & hac Epistola patet. Elapsis annis 14. rursus ascendit Hierosolymam ad Concilium, quibus si anni illi tres, quorum facta est mentio includantur & hic 14. detrahantur à 36. annis, remanent anni 22. unde jam à numero 25. annorum tres decedunt. Ne verò quis suspicetur, interea Petrum Romæ fuisse

fuisse, observatum dignum est, quod Apostolus dicit: *Cum viderent* ( Petrus, Jacobus & Johannes ) *mibi concreditum esse Evangelium præputii, quemadmodum Petro circumcissionis* ( nam qui efficax fuit in Petro ad Apostolatam circumcissionis, efficax fuit in me inter gentes ) Apparet inde Petrum tum in Judæa & forte in vicinis locis tantum Apostolatu defunctum & nihil minus ad remotissimas gentes Romanos scilicet peregrinatum. Cum verò tum anno 15. à conversione Pauli partitionibus inter Petrum & Paulum quasi ex pacto facta fuerit, ut ille ( Petrus ) in circumcissionibus, hic verò inter gentes Apostolatu fungeretur, nec tùm sanè Petrus, posthabito mox pacto, excurrit in Italiam ad longè distitas gentes. Unde colligimus, aliquot annos etiam ex pacto illo Evangelium non nisi in Judæa & regionibus fortè vicinis à Petro prædicatum, qui ipsi etiam numero illi decedunt. Quod si autem hæc reprehensio Petri Antiochiæ accidit, post concilium illud Hierosolymitanum, sicut series narrationis innuere videtur, & ita Petrus Antiochiæ etiam commoratus est aliquandiu, adhuc plus temporis 25. illis annis detrahatur, ut planè commentum illud falsum appareat. Sicut nec aliæ definitiones ex Epistolis Pauli petitiæ, quibus illud confutari potest. At si maximè Romam aliquando venisse concedamus Petrum, ( nam

nume-

numerus ille 25. annorum facile refutari potest) tamen nunquam hoc demonstrari potest, quod se ibi pro capite Ecclesiæ gesserit, ac Christi officium ac honorem invaserit, quod est Antichristianum, vel tanto fastu minima saltem ex parte se ibi ostentaverit, sicut hodie facit Papa.

## III. PARS II. CAPITIS.

Posteaquam Beatus Apostolus Apostolatus sui dignitatem à contemptu Pseudoapostolorum vindicavit & se autoritate reliquis Apostolis minimè cedere demonstravit, nunc ad principalem causam descendit, doctorus, hominem sine operibus legis, sola fide in Christum justificari: idq; admodum commodè. Nam cum Petri errorem, quo gentibus scrupulum hunc injecerat, ac si Judæismus, id est, circumcisio & alia opera legis ad salutem promerendam essent necessaria, correxisset, nunc singulari artificio principale propositionem, de qua modò dictum, præmunit & Judæos non minus, quàm gentiles peccatores, coram Deo reos esse, ac proinde non operibus legis, sed fide Christi justificari.

*Nos naturâ, inquit, Judæi & non ex gentibus peccatores, scientes non justificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, &c.*

E

Pau-

Paucis verbis Apostolus comprehendit  
 quod copiosè tribus primis capitibus Episto-  
 læ ad Rō. tractat, non tantum gentes Idolola-  
 triæ & enormibus sceleribus immerfas, sed  
 etiam Judæos, qui ex legis præscripto vivere  
 tenebantur, propriâ justiciâ, quæ in operibus  
 legis consistit, destitutos, non nisi fide Christi  
 coram Deo justificari, sine operibus legis  
 respexerit sine dubio ad illa Davidis pronun-  
 tiata, *Si iniquitates observaveris Domine, Do-  
 mine quis subsistet? quia apud te propitiatio est,  
 ut timearis, Psalm. 130.* Item, *ne intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur  
 conspectu tuo omnis vivens, Psalm. 143.* Eadem  
 sententia Apostoli est, ac si diceret: Nos Apo-  
 stoli, prædicantes Evangelium Christi, licet  
 ex Judæis prognati, quibus lex data est, quibus  
 ex legis præscripto vivere mandatum est, &  
non sumus ex gentibus peccatores, id est, non  
ita Idololatria ac aliis enormibus sceleribus  
cooperti, ut gentes, verbo Dei olim destitu-  
tæ, quæ respectu Judæorum pro maximis ha-  
bentur peccatoribus: tamen cum sciamus, ho-  
minem non justificari ex operibus legis, nisi per fi-  
dem Jesu Christi, id est, tantum & sola fide in  
 Jesum Christum pro nobis crucifixum, in  
 quo omnis justiciæ ac salutis fiducia collo-  
 canda est, *etiam nos in Christum Jesum credi-*  
*mus, quo fructu? quid in Christo quaerivi-*  
*mus? ut justificaremur ex fide Christi & non ex*  
 operi-

operibus legis: Vis vocum ac phrasium in hoc Apostoli textu diligenter notanda est. Verbum justificari significat in iudicio Dei absolvi à peccatis, justum censerì ac pronunciarì. Vox fidei complectitur agnitionem Dei patris, & quem misit, Jesu Christi, secundum totum verbum Evangelii revelatum, & fiduciam cordis in Christo, ejusq; merito, tanquam sola & unica justiciæ ac salutis causa acquiescentis, vel Christum ejusq; meritum apprehendentis. Fides Jesu Christi idem est, quòd fides in Jesum Christum, qui ex immè-  
 sa charitate semetipsum pro nobis tradidit, sicut ipse Apostolus explicat, etiã nos in Christum Jesum credidimus. In hac locutione Apostoli scientes hominem non justificari ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, particula nisi (*εἰ μὴ*) respondet particulæ adversativæ, sed, vel exclusivæ tantum & planè *ἀντιθετικῶς* ponitur, quasi dicat Apostolus, sed solum per fidem Jesu Christi. Et ne cavillo sit locus, ac si Apostolus excluderet opera antecedentia fidem, non autem opera fidem consequentia, à causa justificationis, hoc modo, scientes hominem non justificari operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, id est, sed operibus fidem consequentis, tenendum firmiter, Apostolum manifestam *ἀντιθετικῶς* ponere in negotio justificationis, fidei & operum, dum mox subjungit, etiam nos in Christum Jesum credidimus, ut ju-

stificaremur ex fide Christi & non ex operibus legis, & quod in fine cap. affirmat, si per legem iusticia, Christus frustra mortuus est. Item quod ad Rom. 3. sæpius repetit: justificari hominem per fidem, sine operibus legis, quæ a nō deo, quod diffidium fidei & operum locum minime habere posset, si opera in negotio justificationis aliquam causæ & meriti rationem haberent.

Cum itaq; Apostolus se & alios Apostolos naturâ Judæos non nisi fide in Christum justificari, ac in illo solo iusticiam veram, non in operibus legis quærere affirmet, conueniens est, etiam ipsos coram Deo, ut legem transgressores, reos esse. Quorsum enim in Christo iusticiam quærerent, si ipsi legem perfectè implerent? Si enim illam perfectè implerent absque omni defectu, tum etiam operibus legis justificarentur. Quare generalem assertionem pro ratione ponit: *Propterea quod non justificabitur ex operibus legis omnis caro.* Hæc scilicet principalis propositio est hujus Epistolæ, prorsus eadem cum Davidis enuntiato: Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, *Psal. 143.* Omnis caro, id est, ulla caro: Voce carnis naturam hominis peccato depravatam & perditam intelligens.

¶ Per opera legis Apostolus intelligit non tantum opera legis ceremonialis, sed etiam moralis. Nam prorsus ab operibus legis ceremonialibus

remonalis ut à specie ad genus, id est, opera legis omnia disputationem traducit, omnibus scilicet operibus legis causam justificationis derogans. Id quod patet primùm ex manifesta *av' n' f' e' o' d'* operum legis & fidei. Si namque Species aliqua operum legis laudem justificationis promereretur, tum antithesis illa vel non esset in oppositis verè, vel divinatorie opus esset, qui lectorem certum redderet, tantùm opera legis ceremonialis intelligi. Deinde argumenta Apostoli non minus fortiter excludunt opera legis moralis quam ceremonialis, exempli causa illud: *Siper legem justitia est, Christus frustra mortuus est,* & de aliis pluribus idem est judicium. Tertiò dum 3. cap. hujus Epist. usq; ad eò non justificari hominem ex operibus legis docet, ut potius legem maledictionis fulmen in eum, ut transgressorem, vibrare asserat, non de lege ceremoniali tantùm, sed de tota lege sibi sermonem esse planum facit. Adhac cum Paulus in Epist. ad Rom. idem argumentum tractet, in genere de lege & imprimis de morali ait, *per legem agnitio peccati, cap. 3.* Hæc & alia ostendunt, non tantùm à Paulo opera legis ceremonialis, sed etiam moralis in justificatione, ut illius causam, & meritum excludi.

Jam posita principali propositione mox anteoccupans objectionem adversariorum subjungit, qua doctrinam de gratuita homi-

nis peccatoris & coram Deo rei, justificatione calumniari poterant: *Si verò dum quaerimus justificari per Christum, reperimur & ipsi peccatores, num Christus peccati minister est?* Id est si nos Judæi etiam, qui sub lege viximus, dum quaerimus in solo Christo justiciam & non in operibus legis, eo ipso convincimur, esse peccatores ac legis transgressores, num Christus peccati minister, promotor ac patronus est, ut non tantum peccata jam antea admittimus per ipsum approbentur, sed etiam nunc à peccatis propter Christi obedientiam activam & passivam gratis absolutis & liberatis, peccata liberè frenum laxare per ipsum liceat? Respondit Apostolus calumniam hanc graviter, *Adhuc sit? Neutiquam hoc fiat?* & mox ratione duplici objectionem illam confutat. Primum enim inquit: *Nam si quæ destruxi, hæc rursum ædifico, transgressorem me ipsum constituo*, quæ dicat, si ejusmodi doctrinam de justificatione propono, qua à peccato homo absolvitur, ut illa ipsa mea doctrina peccatum veluti domus destructa ædificetur, promoveatur confirmetur & patrocinium acquirat, verum transgressorem, prævaricatorem & patronum peccati me ipsum constitui. Intendit autem Apostolus digitum in alterum Christi beneficiam, sanctificationem, qua justificationem hominis coram Deo proximè sequitur & ab ea dependet. Christus enim

non hoc tantum peperit, ut fide in ipsum justificemur, & à peccato absolvamur, sed etiam ut nos Spiritus sui participes reddat, qui nos sanctificet, ut morti ipsius & resurrectioni insiti peccatum mortificemus & justiciæ serviamus. Quare ita per Christum justificamur, non ut peccatum ædificetur, sed potius per ipsum etiam sanctificamur, ut peccato moriamur, & ad ipsius (Dei) voluntatem vivamus, id quod altera ratione Apostolus plenius declarat: *Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam.* Quam sententiam quidam sic exponunt, quasi dicere voluerit Apostolus: per legem, id est, doctrinam Evangelii (nam lex Hebræis generatim doctrinam significat) legi Mosis mortuus sum, quæ quidem per se nullo modo potest redargui. Propriè enim per Evangelii doctrinam annunciantem Christum, *qui finis & perfectio legis est ad salutem omni credenti*, Rom. 10. Legi Mosis mortui sumus, id est, à maledicto legis liberati & à legis coactione præcipientis quidem perfectam obedientiam, sed facultatem præstandi eam non largientis. Sicut Apostolus ad Rom. 7. dicit, mortificati estis legi per corpus Christi.

At nec hæc hujus loci expositio incommoda est, ut hanc intelligamus esse mentem Apostoli, per legem arguentem peccata, terrentem conscientiam, iram Dei denuntian-

tem ac proinde adducendum ad Christum  
 qui legi satisfecit, legi mortuus sum, hoc est  
 legis maledictione liberatus, & in regnum  
 gratiæ, in quo peccata mihi remittuntur  
 translatus sum, non ut rursus ex hoc gratiæ  
 regno in regnum peccati ac maledictionis  
 defultoria levitate resiliam, *Sed ut Deo gratiam*  
*vivam*, fruens pace conscientiæ, liber à metu  
 mortis & damnationis æternæ & ad voluntatem  
 Dei ejusq; laudem vitam exigens in veritate  
 sanctitatis & justitiæ, item legi mortuus sum  
 hoc est, à legis coactione liberatus, ut deinceps  
 Deo liberè & spontaneo Spiritu ad legem  
 normam vivam. Atque ita legis minister  
 non per se, sed per accidens tribuitur liberatio  
 à maledictio & coactione legis, quatenus  
 est pædagogus ad Christum. Cum autem legi  
 mortuum se dicit, simul etiam à ceremoniis  
 legis se liberum ostendit, ut illa sicut maledictio  
 & coactio ipsum jam in Christum credentem  
 non magis quam mortuum attingant. Addit,  
*una cum Christo crucifixus sum*, quibus verbis  
 causam exprimit divini & sanctæ vitæ, quod  
 Christo crucifixo per fidem implantatus ipsius  
 virtute veterem hominem cum suis concupiscentiis  
 crucifigat & peccatum pro maledicto habeat. Sicut enim  
 Christus in cruce factus maledictum, peccatum  
 damnavit & sustulit, ut credentibus non magis  
 imputetur, quam si ipsi crucifigati essent.

essent: Ita credentes ipsius virtute peccatum damnant & mortificant. Quam sententiam luculentius declarat, ajens: *Vivo autem jam non ego, sed vivit in me Christus*: Perinde ac si dicat. Non jam se ut olim suis viribus naturalibus secundum veterem hominem extra gratiam vigere, quandoquidem jam per fidem justificatus & Spiritu Domini regeneratus nova quædam creatura sit, & proinde Christum, cui insitus sit per fidem, qui per fidem in ipso habitat, *Ephes. 3.* causam esse divinæ vitæ, quæ consistit in eo, quod per ipsum justificatus nunc pace fruatur conscientia, absque metu maledictionis & damnationis, absque pavore & terrore conscientia, quæ jam per Christum tranquilla sit reddita & insuper etiam ad voluntatem & laudem Dei vitam suam Christi virtute ac Spiritus ejus transfigat. Hanc divinam vitam *ἐξηντητικῶς* magno Spiritus fervore describit, Christi merito utrunque beneficium & justificationis & sanctificationis, quod simul voce vivificationis comprehendi potest, adscribens, *vitam autem quam nunc vivo in carne, in fide vivo filii Dei, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.* Loquitur Apostolus de vita divina & spiritali, quam ait se vivere quidem in carne, id est, in tempore, quod in carne hac superest, ut Petrus loquitur, vel in corpore hoc mortalitati obnoxio; Sed tamen se vivere illam in fi-

de filii Dei, per fidem innuens fiduciam e-  
dis in Christo filio Dei acquiescentis, in qua  
pacem & tranquillitatem habeat, liberat  
scilicet à metu mortis & damnationis æter-  
næ, cujus inhabitantis Christi virtute etiam  
vivat voluntati Dei. Totum hoc vivificati-  
onis vel spiritualis vitæ beneficium acceptum  
refert Apostolus merito filii Dei, sicut affir-  
mat: *qui dilexit me & tradidit semetipsum pro*  
*me.* Christus enim filius Dei ex immensa car-  
ritate se pro nobis tradidit, & eo ipso non  
promeritus est tum hoc, ut fide in ipsum ju-  
stificemur gratis, tum ut virtute sua vivificemur  
& à Spiritu sanctificante nos gubernati vo-  
luntati Dei vivamus. Quod dicit: *qui dilexit*  
*me, &c.* Verba sunt singularis personæ &  
certæ fiduciæ. Jam ubi respondit plene obje-  
ctioni & calumniæ adversariorum, quæ do-  
ctrinam de gratuita hominis per Christum  
justificatione calumniari poterant, ac si illa  
peccato patrocinium præberet, ad institutum  
suum revertitur, argumento ex adversis sum-  
pto, principalem propositionem, quæ est, ho-  
minem non justificari ex operibus legis, sed  
fide Jesu Christi, confirmans: *non irritam fa-*  
*ctio gratiam Dei. Si enim per legem justitia est,*  
*Christus frustra mortuus est.*

Notandum non jam Apostolo negotium  
esse cum Judæis incredulis, qui facile con-  
cessissent illationem Apostoli, Christum  
frustra

frustra mortuum esse, sed cum illis, qui contendebant, non tantum fide, sed etiam operibus legis, atque ita fide & operibus simul hominem justificari. Fundamentum itaque hujus argumenti in eo consistit, quod justitia nostra, qua justus coram Deo reputamur, in solidum nobis constet, sola Dei gratia, solius mortis Christi merito, ob quod Deus ex immensa misericordia nos, remissis peccatis, gratis justos pronunciat. Quod si autem operibus legis justitia & salus nobis constat tum non nisi sub ratione causae & meriti illis adscribi potest. Hinc Apostolus concludit, si justitia est ex operibus legis, non ex gratia est. Quantum enim tribuitur operibus, tantum detrahitur gratiae. Gratia autem non est gratia ullo modo, si non gratis datur omni modo: Et gratia Dei aut tota suscipitur, aut tota rejicitur. Qui ergo partem promereri vult operibus, & partem obtinere ex gratia, is totam gratiam abrogat & irritam facit. Ita etiam, si operibus justitia ascribitur, Christus frustra mortuus est. Quantum enim operibus laudis in negotio justificationis tribuitur, tantum merito Christi decedit. Ac si operibus justitia acquiri potest, nulla causa fuit, cur Christus moreretur. *Solus autem, inquit, torcular calcavi & de hominibus non est vir mecum, Esaie 63. Item, non est sub caelo aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat salvari, quam*

quàm in nomine Jesu, Act. 4. Itaq; operibus opponit gratiam Apostolus, ut gratia operibus & opera gratiam in causa justificationis abrogent, sicut ad Rom. 11. ait. *Si per gratiam, non ex operibus, quandoquidem gratia jam non est gratia.* Sin ex operibus, jam non est gratia, quoniam opus jam non est opus, hoc est, non esset meritum operis. Eadem ratione in causa memoriae justiciæ & salutis opponit mortem Christi & opera legis, ut si opera sint meritoria causa justiciæ, vel ex toto, vel ex parte Christus frustra sit mortuus, & mors Christi irrita fiat. Absit autem, ut quisquam hoc affirmare audeat.

### LOCI COMMUNES III.

#### Partis Cap. II.

I. Quàm enormia fuerint gentiliū, extra gratiam olim viventium, peccata, ut respectu illorum Apostolus Judæos neget peccatores. Nam præterquam quod sibi populum Deorum, ut Nazianzenus loquitur, fixerunt, & gloriam Dei incorruptibilis, teste Apostolo Rom. 1. mutârunt in similitudinem imaginis hominis corruptibilis, & volucrum, & quadrupedum, & reptilium, etiam ejusmodi sceleribus, quæ ipsum rationis lumen redarguunt, quibus ipsius naturæ usus invertitur, cooperiti fuerunt. Proinde in peccatis & delictis mortui fuerunt, Ephes. 2. Quod itaque gentiles, ita

les, ita Idololatriæ & abominandis peccatis immerfi, ad communionem regni Christi vocati, & ad participationem sortis sanctorum in lumine idonei facti sunt, *Colof. 1.* Id immensæ Dei misericordiæ adscribendum est. Sicut Apostolus testatum facit *ad Ephes. 2. c.* Deus, qui dives est in misericordia, propter multam charitatem suam, qua dilexit nos, etiam cum mortui essemus in delictis, convivificavit nos unâ cum Christo, (per gratiam enim estis servati) simulque cum eo resuscitavit & simul cum eo sedere fecit in cœlestibus, in Christo Jesu, ut ostenderet in seculis supervenientibus, eminentem opulentiam gratiæ suæ, benignitate erga nos, per Christum Jesum. Et *ad Tit. 3.* Postquam bonitas & erga homines amor apparuit, servatoris nostri Dei, non ex operibus, quæ sunt in justitia, quæ faciebamus nos, sed secundum suam misericordiam, salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos opulentè, per Jesum Christum servatorem nostrum, ut justificati illius gratia hæredes efficeremur juxta spem vitæ æternæ.

II. Judæi etsi non ex gentibus peccatores sunt, id est, Idololatriæ crassæ, & tam abominandis delictis immerfi, ut qui ex præscripto legis externam disciplinam utcunq; servare tenebantur, tamen, teste Apostolo, dum non

in

in legis operibus, sed in Christo quarunt  
 stificari, eo ipso etiam reperiuntur peccato-  
 res. Quod enim ex operibus legis non iustifi-  
 cantur, hæc causa est, quia legem perfecte im-  
 plere non possunt, & ideo ejus transgressores  
 sunt. Quo nomine Apostolus illos convincit  
 & reos agit, *Rom. 2. 3. cap.* Et *Ephes. 2.* ait: Er-  
 mus autem omnes naturâ filii iræ, sicut  
 cæteri. Universè enim David, *Psal. 14.* de  
 omnibus hominibus, Judæis & gentibus, ju-  
 dicium Dei manifestat, inquit: Dominus  
 cælo respexit super filios hominum, ut  
 deat, an sit intelligens, aut requirens Deum,  
 omnes declinaverunt simul & inutiles facti  
 sunt: Non est, qui faciat bonum, ne unus  
 quidem. Quare conclusit Scriptura omnes  
 sub incredulitatem, ut omnium misereatur,  
*Rom. 11. Gal. 3.*

II. De justificatione, de qua Apostolus  
 dicit: Non justificari hominem ex operibus  
 legis, sed per fidem Jesu Christi: credentes in  
 Christum justificari ex fide Christi, & non ex  
 operibus legis: non justificari ex operibus le-  
 gis omnem carnem. Quam sententiam Apo-  
 stolus confirmat his verbis: non irritam facio  
 gratiam Dei. Si enim per legem est justitia,  
 Christus frustra mortuus est, hoc est, si ex o-  
 peribus legis, vel ex toto, vel ex parte est ju-  
 stitia, gratia Dei irrita fit, & Christus frustra  
 mortuus est. Sed hoc utrunq; absurdum est;

Ergo

Ergo falsum, quòd ex operibus legis, vel ex toto, vel ex parte sit justitia. Cum itaque Pontificii in Concilio Tridentino anathema dicant his, qui affirmant, sola fide, quæ est fiducia misericordiæ Dei, peccata remittentis propter Christum, justificari hominem peccatorem, & passim suis scriptis illam doctrinam hæreseos damnent, quid aliud faciunt, quàm quòd ipsius Pauli doctrinam damnant? qui non ex operibus legis, sed per fidem justificari hominem affirmat, usque aded, ut si ex operibus legis sit justitia, vel ex parte etiam, gratia Dei irrita fiat & Christus frustra mortuus sit. Agit enim Apostolus non contra obstinatos Judæos, qui in operibus legis ex toto justitiam ponebant, sed contra eos, qui cum fide in negotio justificationis conjungebant opera. Cum verò doctrina de justificatione variis modis à Pontificiis involvatur & depravetur, operæpretium est, illam hîc paulò altius & plenius repetere, & in luce ponere. Quod fiet omnium commodissimè, si termini & vocabula, quæ in hac doctrina usitata sunt, & à parte adversa in alienum sensum detorquentur, rectè ex scriptura explicentur, ut sunt: justificare, justificatio, justitia, fides, gratia, imputare, justitia imputativa, sola fide justificari, &c. Quibus rectè & benè expositis, facilior erit veræ sententiæ confirmatio & contrariæ rejectio.

Ver-

Verbum igitur *justificare* Hebræis forense est, significans pertractum in iudicium & accusatum à crimine intentato absolvere, iustum censere & pronunciare, à pœna liberare ei que innocentia laudem ac præmium tribuere. *Exod. 23.* Non innocentem & iustum occides, quia non justificabo impium, *Deut. 25.* Si fuerit lis inter aliquos & accesserint ad iudicium & iudicaverint eos, justificaverintq; iustum & impium condemnaverint, &c. *Pf. 82.* Dominus ita iudices compellat: *Judicate pauperi & pupillo, pauperem & egenum justificate. Proverb. 17.* justificans impium & condemnatus iustum, abominatio Jehovæ etiam ambo sunt ipsi. *Esaia 5.* Væ iis, qui justificant impium propter munera, justiciam autem iustorum auferunt ab eis. *1. Reg. 8.* Cum peccaverit vir in proximum suum, & detulerit in eum iuramentum, ita ut cogat eum jurare & venerit iuramentum ante altare tuum, in domo hac: Tu exaudias in cælo & facias & iudices servos tuos, condemnando impium, ut des viam ejus in caput ejus, & justificando iustum dando ei secundum justiciam ejus. *Matth. 12.* Ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Hanc forensem significationem verbi justificandi transfert scriptura & præcipuè Paulus Apostolus ad negocium nostræ cum Deo reconciliationis & salvationis omnium re-

ctissimi.

Etissimè, ut in eo verè actus & processus qui-  
 dam judicialis appareat. Siftitur enim homo  
 peccator & transgressor legis iudicio Dei, &  
 à lege ipsa accusatur ac attestante conscientia  
 ejus convincitur de peccato, atque ita reus est  
 coram Deo. Lex dicit sententiam: maledictus  
 omnis, qui non permanserit in omnibus,  
 quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.  
*Dent. 27.* Ita igitur condemnatur. Hic miser  
 homo, sic sensu iræ Dei exterritus, circum-  
 circa quærit, quid huic iudicio Dei opponat.  
 Atqui in se ipso nihil invenit. Actiones ho-  
 nestæ disciplinæ severi iudicis justiciæ non  
 satisfaciunt, quin potius cùm veritatem in in-  
 justitia detinuerint gentes, ira Dei super im-  
 pietatem illam hominum de cælo manifesta-  
 tur, *Rom. 2.* At nec ex operibus legis justifica-  
 tur omnis caro, quia lex potius nos accusat, ut  
 quæ per carnem infirmatur, *Rom. 8. cap.* & qui  
 in uno offenderit, reus est in omnibus, *Jacob.*  
*2. cap.* Si novæ obedientiæ justiciam secun-  
 dum legem velit opponere sanctus & rena-  
 tus quispiam, tum & illa imperfecta est, &  
 Paulus legem & ejus opera à justificatione, ut  
 causam omnibus modis excludit. Quare De-  
 us, qui ignis consumens est, naturam & ope-  
 ra nostra in severo suo iudicio examinans, illa  
 immunda invenit, in cujus oculis ne cæli  
 quidem mundi sunt, quanto magis abomina-  
 bilis & contemptibilis homo, bibens sicut a-  
 quam

quam iniquitatem, *Job. 15.* Hinc illæ sanctorum deprecationes, ex profundis gemitibus profectæ: Domine, si iniquitates observaveris, Domine quis sustinebit? *Psal. 130.* Item ne intres in iudicium cum servo tuo, quoniam in conspectu tuo non justus est omnis vivens, *Psal. 143.*

Neque verò Deus, quod iudicibus huius mundi, causâ non satis cognitâ, usu venire solet, ex errore vel ignorantia hominem improbum justificat, neque etiam de transgressionem legis convictum & damnatum, salva iusticia sua, absolvere potest, nisi interveniat plena legis satisfactione, cum ejusmodi iudicium in iudicibus terrenis, ut abominatorem damnet. Quid ergo? Nisi hic Dominus ex immensa misericordia, in iudicio hoc alius propiciatorium, Jesum Christum mediator rem, & in hoc spem salutis proposuisset, in æternum nobis omnibus pereundum fuisse. Ita igitur in hoc iudicio intervenit obedientia filii Dei, qua legi perfectè satisfecit, cum plena pœnarum solutione, & ejus intercessio, ut qui ad hunc gratiæ thronum confugerunt, qui hanc Christi obedientiam in Evangelio propositam fide apprehendunt, hoc Deus propicius, remissis peccatis, propter satisfactionem filii, in gratiam recipiat, pro justis censeat, à sententia æternæ damnationis & pœnæ liberet, quin etiam in filios hæredes vitæ æternæ acceptet.

Itaq;

Itaque in hoc iudicio est Deus, justus iudex, lex accusatrix, legis chirographum contra hominem, homo accusatus & reus, conscientia mille testes & convincens, sententia damnationis secundum legem latam, reus damnatus ad aeternum supplicium. Deinde Christus intercessor, advocatus & mediator, pro homine legi satisfaciens, homo damnatus, ad hunc thronum gratiae confugiens, Deus propitius, culpam & poenam remittens, a sententia damnationis damnatum reum propter intercessionem filii absolvens &c. Haec est justificatio hominis. Quod autem significatio verbi *justificatio*, in hoc negotio forensis, & justificatio nostra ejusmodi quasi actus & processus judicialis sit, id ex sequentibus rationibus patet.

I. Id docet antithesis verbi accusandi, condemnandi & justificandi ac intercedendi, *Rom. 8.* Quis intentabit crimen adversus electos Dei? Deus est, qui justificat: quis ille, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis. Ubi accusationi & condemnationi justificatio opponitur, ut haec non possit esse aliud, quam ab intentato crimine & sententia condemnationis absolutio, vel remissio culpae ac poenae. Et ne quis putet, justificandi verbum hunc sensum habere, ut sit per infusionem

gratiæ & justiciæ inhærentis justū facere, Apostolus opponit criminis intentioni & sententiæ damnationis Christum, qui morte sua pro culpa & pœna satisfecit, & qui intercessione sua nos patri reconciliat. Hinc illa tam plena fiduciæ exclamatio Apostoli sequitur: *Quis nos separabit à dilectione Dei? &c.* Quantam fiduciam coram Deo in Apostolo justiciæ novæ obedientiæ ipsi inhærens excitare non potuisset, cum Paulo ante 7. c. testatus sit, si maximè secundum interiorem hominem delectetur lege Dei, tamen invenire se in membris suis aliam legem, rebellantem legi mentis suæ, &c. Unde hujus infirmitatis & immundiciei sibi conscius, in hanc miserabilem vocem erupit: quis me liberabit de corpore mortis hujus? At Christi satisfactio & intercessio fide apprehensa in Apostolo ejusmodi fiduciam gignere potuit. Similis antithesis est, *Rom. 5.* nam judicium ex uno delicto ad condemnationem, donum autem ex multis delictis ad justificationem. Opponit Apostolus judicium, quo Deus propter unum Adami delictum in omnes homines, quatenus in illo omnes peccaverunt, sententiam damnationis, pro rigore justiciæ suæ, tulit, gratiæ in Christo exhibitæ, quæ cedit ad justificationem credentium ex multis delictis. Ubi justificationis vox necessariò hanc sententiam habet, ut significet absolutionem ab

inten-

intentatis delictis, licet illa multa sint ab hominibus commissa.

II. Totum hoc negocium in forma judicialis actus & processus passim describit Paulus. Nam Deum iudicem proponit, *Rom. 1.* cum ait: Palam fit ira Dei è cælo, adversus omnem impietatem & injustitiam hominum. Quod fit, cum ex lege, in qua voluntatem è cælo manifestavit, omnes homines, ut transgressores & inutiles, redarguit & convincit, sicut ex *Psal. 14 Rom. 3.* ostendit. Unde infert, omne os obturari, & totum mundum fieri obnoxium (ubi græca vox *ἰώδης* judicialis est) propterea, quòd ex operibus legis non justificabitur omnis caro, in conspectu ejus. Per legem enim agnitio peccati. Hęc lex iram operatur, *Roman. 4.* iram scilicet Dei & maledictionem denunciando. Hinc veniente lege peccatum revixit, homo autem mortuus est, *Rom. 7.* Sententia legis in hominem fertur, quæ est maledictio, *Galat. 3.* In hoc iudicium intervenit mediator filius Dei, qui sub plenum tempus, natus ex muliere, legi factus est subditus, ut nos à maledicto legis redimeret, *Gal. 4.* Hic intercedit pro nobis, *Rom. 8.* Hic advocatus noster est, qui factus est propitiatio pro peccatis nostris, non autem pro nostris tantum, sed totius mundi, *1. Iohan. 2.* Hoc scilicet est, quod justificamur gratis per ipsius gratiam, per redemptionem, quæ est in

Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem, in sanguine ejus ad Romanos. 3. Hinc per obedientiam unius justii tumentur multi, Roman. 5. Ubi verbum tumentur etiam est judiciale, quod fit remissione peccatorum & liberatione à pœna. Justificati enim sanguine filii Dei servabimur ab ira, Roman. 5. Nulla itaque nunc condemnatio est in his, qui in Christo Jesu sunt, Roman. 8. Notandum est igitur, in hoc processu non opponi judicio Dei justiciam homini in hærentem, sed mortem & propiciationem filii. Quod ipsum etiam Paulus docet, quando justificationem nostram describit reconciliatione nostri cum Deo. Si, cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filii ejus, multò magis reconciliati servabimur per vitam ejus. Ubi rursus nullius justiciæ, cujus causa reconciliemur Deo, mentione fit, sed mortis filii Dei. Describit Apostolus justificationem & beatitudinem hominis eo, quod remissæ sunt illi iniquitates & obtecta peccata, & quod Dominus non imputavit illi peccatum, Roman. 4. Psalm. 32. Remisso autem, tecto & non imputato peccato, inimicitia inter Deum & hominem sublata est, homo est in gratia & pro justo reputatur, sicut totus Prophetarum chorus testatur, affirmante Petro Act. 10. Quod remissionem peccatorum habent, quotquot credunt in nomine

mine ejus, & Johannes Apostolus, si confiteamur peccata nostra, fidelis & justus est, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate, 1. *Johan. 1.* Idq; propter intercessionem & propitiationem advocati nostri apud patrem, Jesu Christi Justi, 1. *Johan. 2.*

Idem demonstrant aliæ æquipollentes loquendi formæ, quæ in scriptura sunt usitatæ, ut quoddam Johannes Apostolus *Johan. 3.* scribit: Non Deus misit filium, ut mundum condemnet, sed ut servetur mundus per eum. Qui credit in eum, non condemnatur. Item, qui credit in filium, habet vitam æternam, & *Johan. 5.* Amen, Amen dico vobis, qui sermonem meum audit, ait ipse Salvator, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam & in judicium non venit, sed transivit à morte in vitam, *Act. 15.* Credimus gratia Christi nos salvari, *Marc. 16.* Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. Et hujusmodi plurimæ sententiæ in divinis literis occurrunt.

Exemplum publicani & Pharisei hanc justificationis rationem declarat, *Luc. 18.* Publicanus enim in hoc judicio indignationem judicis in conscientia sua sentiens, percutit pectus suum & à tribunali justiciæ ad thronum gratiæ appellat, hic justificatur: Phariseus autem ad thronum justiciæ subsistens,

oppositis suis virtutibus & operibus, sed neglecto throno gratiæ condemnatur. Cuiusmodi exempla plura occurrunt in scripturis. Necessarius hujus doctrinæ usus illam significationem confirmat. Hæc enim doctrina sic in forma iudicii severi & judicialis auctus proposita, ut ad securitatem Epicuræam excutiendam, & terrendos hominū peccato indulgentium animos plurimum valeat, ita etiam non minus idonea est ad retundendum tumorem Pharisaicum de propria iusticiæ persuasionem, ad quam homines naturæ *Φίλαυτοι* nimium sunt proclives.

Notanda est etiam vox *justicia*, quæ significat primū id, quod conforme est legi Dei, vel quod congruit ad regulam iusticiæ Dei in lege expressam: ut 1. *Johan.* 3. faciens iusticiam iustus est, 2. *Timoth.* 2. sectare iusticiam: *Psal.* 4. Deus iusticiæ meæ, *Rom.* 6. Liberati a peccato servi facti estis iusticiæ. Et passim in scriptura exempla occurrunt. Hac iusticia nostra coram Deo non justificamur, quia imperfecta & polluta est. Omnes enim iusticiæ nostræ sunt, sicut pannus menstruata, *Esai.* 64. Sic nullus vivens est iustus in conspectu Dei, *Psal.* 143. Unde *Daniel.* 9. cap. ait. Non prosternimus deprecationes in iusticiis nostris, in conspectu tuo, sed in miserationibus tuis multis. Deinde scriptura per iusticiam intelligit illam iusticiam, qua coram Deo iusti-  
 sti sa-

sti sumus, vel qua Deus justus est, & justifi-  
cans eum, qui est ex fide Jesu Christi, *Roman.*  
3. ut justitia Dei per fidem Jesu Christi in om-  
nes & super omnes, qui credunt, *Roman.* 3.  
De qua justitia loquitur Paulus, loco nobis  
proposito, & hæc justitia in sacris literis Dei  
justitia appellatur. Accipitur autem tum de gra-  
tia Dei, qua propter filii obedientiam nos ju-  
stos pronuntiat, ut *Psalms.* 71. In justitia tua li-  
bera me Domine & *Psalms.* 143. Exaudi me in  
justitia tua: & passim in Psalmis, tum de ipsa  
Christi justitia, per fidem nobis imputata, ut  
germen Davidis est Jehova, justitia nostra,  
*Jerem.* 23. Christus factus est nobis justitia, 1.  
*Corinth.* 1. ut nos efficeremur justitia Dei in  
Christo, 2. *Corinth.* 5. Id est, ut nos Christi obe-  
dientia justii essemus. Quibus in locis accipi-  
tur de justitia illa Christi, propter quam nos  
Deus pater in gratiam recipit & justos pro-  
nuntiat. Quæ in Christo est actu, in nobis au-  
tem per apprehensionem fide, vel per impu-  
tationem; Unde fides imputari dicitur ad ju-  
sticiam. Paulus appellat justiciam, quæ per fi-  
dem est ex Deo, *Phil.* 3. Quod verò in his &  
pluribus locis vox justitiæ non possit in prio-  
ri significatione de eo, quod congruit ad nor-  
mam justitiæ Dei in lege manifestatam acci-  
pi, id ex seqq. rationibus liquet.

I. Quia justitia hæc Dei, teste Paulo *Rom.*  
1. per Evangelium manifestata est, idq; absq;

lege, *Rom. 3.* At iusticia illa nostra, quæ est obedientia qualiscunq; erga mandata Dei, non sine lege manifestatur. Paulus enim ad legem normam illam exigit, *Rom. 13.* Qui diligens proximum, legem implevit.

II. Evangelium nos miseros peccatores ex lege de peccato convictos & damnatos non ad opera legis, sed ad thronum gratiæ mittit, *Rom. 3. Heb. 5.*

III. Quia in pluribus locis Scripturæ, prior significatio teneatur, absurda sententia gignitur, ut libera me in iusticia tua, *Psal. 71.* Nec ingrediantur ad iusticiam tuam, delectentur è libro vitæ, *Psal. 69. Psalm. 51.* Erue me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ, & prædicabit lingua mea iusticiam tuam. Duo tamen loci sunt, ubi iusticia Dei de illa, quæ legi Dei conformis est, accipitur, quorum prior est ad *Roman. 1. cap.* Qui cum Dei iusticiam noverint (nempe quam in lege sua Deus requirit) scilicet quod ii, qui talia faciunt, digni sunt morte, non solum faciunt ea, sed etiam assentiuntur iis, qui faciunt, ubi in græco est *δικαίωμα*, non *δικαιοσύνη*. Posterior *Iac. 1. cap.* Ira viri iusticiam Dei non operatur.

Tertio vocabulum *fidei* est rectè explicandum. Nam quia Apostolus ait: Scientes, hominem non justificari ex operibus legis, sed per fidem Jesu Christi, &c. meritò queritur, quid per fidem illam, qua non tantum hic, sed

passim

passim Apostolus nos justificari coram Deo pronuntiat, intelligatur, idq; propter varias Pontificiorum & aliorum corruptelas. Primo sunt, qui fidem justificantem interpretantur tantum de noticia historiarum cum assensione. At huic sententiarum 1. reclamationem *Iac. 2. c.* dicens. Tu credis, quod Deus unus est? pulchre facis: & demones credunt, ac contremiscunt. 2. Pontificii hoc tempore per fidem intelligunt, doctrinam divinitus revelatam, quam illi catholicam vocant, noticiam & assensum. Cujus professione Christiani à Mahumetanis, Judæis, Gentibus & hæreticis discernuntur, ut qui in hac fide catholica sunt, per illam, & simul spem ac charitatem,ificentur coram Deo. Qui verò in hac fide non sunt, ut hæretici, quicquid hi bonorum operum edant, id peccatum sit, secundum sententiam Apostoli: Quicquid ex fide non est, peccatum est, *Rom. 14.*

Sed si quis ea, quæ hæctenus de justificationis ratione diximus, diligenter expendat, ille nullo negotio hanc Pontificiorum sententiam ut erroneam rejiciet. Nam si hoc quaeritur, quid mens in judicio divino, sensu iræ Dei perterrefacta, opponere debeat, ut à peccato & damnationis sententia absolvatur, tum facile intelligit, noticiam & assensum omnium articulorum & capitum doctrinæ catholice non esse illam fidem, quæ Apostolus dicit, hominem coram Deo justificari, &

qui-

quidem sine operibus legis, atq; sic etiam  
 ne operibus charitatis: Nunquam enim mem-  
 pavida illa doctrinæ professione de operibus  
 charitatis & spe, quam dubiam faciunt Pon-  
 tificii, acquiescet. At loquitur Apostolus hic  
 de fide, in qua dicit se vivere. Qua justificati  
 pacem habemus, *Rom. 5.* Deinde errant Pon-  
 tificii etiam in eo, quòd fidem justificantem  
 dicunt pro objecto habere omnia illa, quæ  
 Deus revelavit & credenda verbo suo pro-  
 posuit. Etsi enim omnium eorum, quæ Deus  
 verbo suo certo tradidit & revelavit, assensus  
 requiritur: Tamen hæc non est propriè fides  
 illa justificans, de qua Apostolus dicit, & nos  
 in Christum Jesum credidimus, ut justifice-  
 mur ex fide Christi, & non ex operibus legis.  
 Si enim verum esset, quod illi affirmant, tum  
 etiam fides justificans haberet pro objecto  
 sententiã legis de maledictione, qua mens nõ  
 justificari se sentit, sed terreri magis ac con-  
 demnari. Præterea Apostolus expressè legem  
 à justitia coram Deo excludit: Si per legem  
 est justitia, Christus frustra mortuus est. Item  
*infra cap. 3.* Lex non est ex fide; & rursus, absq;  
 lege justitia Dei manifestata est, *Rom. 3.* Ergo  
 fides justificans pro objecto habet propriè  
 promissionem Evangelii, de reconciliatione  
 nostra gratuita, sicut Apostolus loquitur: Et  
 nos in Christum Jesum credidimus. Item vi-  
 vo in fide filii Dei, qui dilexit me & tradidit  
 semet-

semetipsum pro me. Item ad Rom. 10. Moses enim de justitia, quæ ex lege est, scribit, quod qui fecerit ea homo, vivet per illa. Cæterùm quæ ex fide est justitia, ea sic loquitur, &c. Et paulò post: hoc est verbum fidei, quod prædicamus, si confessus ore tuo fueris Dominum Jesum, & credideris in corde tuo, quòd Deus illum excitavit à mortuis, salvus eris, &c.

Neque etiam illa sententia vera est, quæ fidem ut per se ad justificationem insufficientem operibus formari & perfici censet: Nam Paulus fide sine operibus justificari hominem disertè pronuntiat.

At & illorum opinio meritò rejicitur, qui ejusmodi fidem justificantem somniant, quæ cum proposito peccandi stare possit, ac ita frenum laxet pravis cupiditatibus. Quæ sententia est Epicuræa prorsus: Ubi n. fides justificans est, ibi cor, quod agnitione iræ Dei ob peccata expavescit, ac illa detestatur, fiducia mediatoris se erigit & consolatur, cui se deinceps consideratione tanti beneficii in obsequiũ addicit, ut, quod superest in carne, tempus, jam non concupiscentiis hominum, sed voluntati Dei vivat. Et huc pertinet, quod Apostolus in textu nobis proposito graviter ait: *Si verò, dum quarimus justificari per Christum, reperimur & ipsi peccatores, num Christus peccati minister est? Absit. Si enim, quæ destruxi, hæc rursus edifico, transgressorem meipsum consti-*

constituo. Ego enim per legem legi mortuus sum  
ut Deo vivam, & quæ sequuntur, &c. Contra  
hanc sententiam scilicet *Jacobus Apostolus*  
cap. pugnat

Ut ergo veram de fide doctrinam teneamus, sciendum est primò, fidem justificantem comprehendere noticiam totius doctrinæ divinitus revelatæ & assensionem, quæ certò statuitur, omnia esse indubitato vera, quæ Deus certo verbo revelavit. Secundò propriè significare in justificatione apprehensionem specialem promissionis de gratuita reconciliatione, in qua mens Christum propiciatorem intuetur, & certà persuasione assentitur, illum cum suis beneficiis in universali promissione Evangelii propositum ad se quoque pertinere. Tertio ejusmodi motum in voluntate seu corde, quo illud agnitione peccati, & sensu iræ Dei contritum, virtute Sp. S. in illud propiciatorium, à Deo in sanguine Christi propositum, seu in agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, magno desiderio & suspirio fertur, illius propiciationem, meritum & beneficia in Evangelio oblata appetens. Quarto ejusmodi motum in voluntate & corde, quo jam in hoc propiciatorio, Sp. sancto sic movente, & veritatem Evangelii obfirmante, insistit, inhæret, acquiescit, & certò sibi propter illud peccata remitti, se vera justitia donari & ob hanc victi-

mam iram Dei placatam, persuasum habet,  
 atq; ita contra iram Dei terrores, pavores con-  
 scientiæ luctatur, & tandem illos vincit. Hoc  
 scilicet est Spiritus S. testimonium, quod per-  
 hibet Spiritui nostro, remissa esse nobis pec-  
 cata. Hinc deinde sequitur accessus ad Deum,  
 cum *πᾶσι ἐπιείκεια*, id est, alacritate, fiducia vel li-  
 bertate: Hinc pax conscientiæ, vera læticia,  
 gloriatio sub spe gloriæ Dei, quin & gloriatio  
 super afflictionibus, *Roman. 5.* quanquam hi  
 fidei effectus & motus in aliis sunt fortiores  
 & evidentiores, in aliis autem languidiores &  
 obscuriores, domino aliquantisper subtra-  
 hente gustum gratiæ suæ. Hæc omnia vult A-  
 postolus comprehendere, cum in textu no-  
 stro dicit: *Et nos in Iesum Christum credidimus,*  
*ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operi-*  
*bus legis.* Et singula illa membra ex divinis li-  
 teris demonstrari possunt. Quod enim ad pri-  
 mum attinet, etsi jam antea dictum est, fidei  
 justificantis proprium objectum esse, non u-  
 niversum Dei verbum, sed promissionem  
 Evangelii de reconciliatione gratuita, per  
 Christum facta: quia tamen universæ scriptu-  
 ræ scopus est Christus propiciator & salva-  
 tor, ideo fides justificans generalem illam no-  
 ticiam & firmam assensionem præsupponit,  
 idque vel hanc etiam ob causam, ut in tenta-  
 tionibus & lucta conscientiæ, fiducia pro-  
 missionis gratiæ, de propiciatione nostra,  
 firmi-

firmiter teneri queat. Quod autem sit notitia & assensus firmus fides, id hæ scripturæ sententiæ testantur, *Esaia 53.* Scientia sui justificabit justus, servus meus, multos, & iniquitates ipsorum ipse portabit. *Ad Coloss. 2.* dicitur *πληροφορία συνέσεως*, id est, certa persuasio intelligentiæ, in agnitione mysterii Dei, & patris & Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi. Quod autem specialiter & propriè apprehendat Christum, ejusq; beneficia, & privatim unicuiq; credenti applicet, id præsens noster locus, præter ea, quæ antea de proprio objecto fidei justificatiis diximus, docere potest: *Vivo in fide filii Dei, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me, &c.* Et hic est finis omnium promissionum universalium Evangelii, ut unusquisque seorsim illas sibi applicet, neminem enim ad se venientem Christus ejiciet foras, *Iohan. 6.* Unde in *1. Iohan. 5.* Sic scriptum legimus: *Hæc scribo vobis, qui creditis in nomen Dei, ut sciatis, quod vitam æternam habeatis.* Sicut etiam ille Sacramentorum finis est, singulis seorsim gratiam oblatam applicare & obsignare.

Terrium: demonstrant hæc dicta: *Ad te Domine levavi animam meam, in te Deus mi confido, non erubescam, omnes qui te expectant, non confundentur, Psalm. 25.* Item, *anima mea sitivit ad Deum, Deum vivum, Psalm.*

*Psal.* 42. Si quis sitit, veniat ad me. Idem docet Dominus, dum *Joh.* 6. cap. jubet nos edere carnem suam, & bibere sanguinē suum. Quin hoc omnes illi Scripturæ loci testantur, qui præcipiunt in Christum credendum, *ut omnis, qui credit in eum, habeat vitam æternam.* Hi enim illam relationem fidei innuunt, qua diximus, fidem in Christum ferri, & illum apprehendere; sicut ipse Apostolus ait: Christum Jesum Dominum à nobis accipi & apprehendi, *Coloss.* 2. & ita apprehendi, ut ipsum induamus, *Gal.* 3. ut à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu, nihil nos separare possit, *Rom.* 8.

Quartum plurimis argumentis & testimoniis evidentissimis sacrarum literarum evinci potest. Nam primum fides dicitur hypostasis, *Hebr.* 11. quæ appellatio certam & firmam fiduciam significat, quâ quis cōfidenter contra hostes & adversarios in bello consistit, & nequiquam cedit, vel fugit ad impetum illorum, à verbo ὑπόστασις, consistere. Et ita sanè credens in certamine & lucta conscientiæ, ac gravissimis tentationibus nō cedit, sed Christo insistit & in eo consistit, ut nulla vi adversariâ ab eo dimoveri possit, sicut scriptum est *Psal.* 112. Paratum cor eius fidere Jehovæ, confirmatum cor eius non timebit, donec videat in hostibus suis, (scil. vindictam, vel de quo gaudeat, & quod optet) & *Psal.* 125. Qui confidit in Jehova, sicut mons Sion, non commo-

G

vetur,

vetur. Secundò fides opponitur fugæ, 2. *Thim.* Porro  
*ral.* 20. Consistite, state & videte salutem Je-  
 hovæ vobiscum: Item, credite in Jehovam: Item, ad C  
 tem, credite in Jehovam, Deum vestrum, & cro-  
 boramini. Ita *Hebr.* 10. ait Apostolus: Justus  
 ex fide victurus est, & si se subduxerit, non  
 probabitur animo meo. Nos verò non su-  
 mus, qui subducamus nos in perditionem, sed Dei,  
 ad fidem pertinemus in acquisitione animæ, non

Item opponitur fides diffidentia & dubi-  
 tationi, timori & trepidationi, *Esa.* 12. Eccc  
 Deus salus mea, confidam & non formidabo,  
*Rom.* 4. Abraham per spem sub spe, &c. Ter-  
 tiò, verbum credere passim pro confidere ac-  
 cipitur, ut *Psal.* 78. Quod non credidissent  
 Deo, nec confisi essent in salutari eius. *Psal.* 31.  
 28. In ipso confidit cor meum, *Psal.* 31. Ego  
 autem confido super te Jehova. Quarto idem  
 docet Spiritus sanctus, cum vult, ut toto cor-  
 de credamus, ut *Proverb.* 3. Confide in Domi-  
 no Deo toto corde tuo. Quintò, fidem com-  
 mendat ἀληγοφοεία, id est, firma persuasio &  
 certitudo de salute, ut ad *Rom.* 4. & 8. *Hebr.* 10.  
 Sextò, hoc ipsum demonstrant effectus fidei,  
 ut quod qui credit, non confunditur, *Rom.* 10.  
 quòd fidem sequitur libertas accedendi ad  
 Deum, pax, lætitia, gloriatio spei, gloriatio su-  
 per afflictionibus, &c. *Rom.* 5. Qui effectus  
 præsupponunt firmam cordis fiduciam, qua  
 in Christo redemptore cor hæret, & infixum  
 est.

est. Porrò fides hæc dicitur iustificare, non propter suam dignitatem, sed quia se avertit à se ipsa ad Christum, illum apprehendens, in eo suffulta, & in hoc tanquam in firmissima petra consistens, remissionem peccatorum, Justitiam & salutem apprehendit.

Quartò Apostoli verba, non aspersionem gratiam Dei, item Christus gratis mortuus esset, admonent nos, ut de significatione etiam harum particularum aliquid dicamus.

Significata autem vox *gratia* in Scriptura S.

Primò misericordiam Dei, qua nos sine omni merito, sine operibus & virtutibus nostris, remissis peccatis propter Christum, ad vitam æternam acceptat, vel ipsam remissionem peccatorum gratis donatam propter Christum, & acceptionem ad vitam æternam, ut *Actor. 15.* Credimus nos salvari per gratiam Domini nostri Jesu Christi, *Rom. 3.* Justificamur gratis, per illius gratiam, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, *Johan. I. cap.* Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum.

Secundò significat donum per gratiam, beneficium renovationis & sanctificationis, nimirum dona Spiritus sancti in nobis, ut supra cap. 2. Cumq; cognovissent gratiam mihi datam Jacobus, & Cephas, & Joannes, & *Rom. 10.* Habentes dona iuxta gratiam nobis datam.

Et si autem utrumq; beneficium, tum re-

conciliationis, tum renovationis, Christus suo merito nobis acquisivit: Firmissime nomen tenendum, in articulo Justificationis vocem *gratia* non significare renovationem, sed misericordiam Dei, qua nos gratis propter Christum, condonatis peccatis, in filios adoptat, & hæredes vitæ æternæ pronunciat, ut hoc loco; non irritam facio gratiam Dei, aliud non significat, nisi remissionem peccatorum gratis donatam, sine operibus legis. Si enim ex legis operibus esset Justitia, tum gratia Dei in Evangelio promissa irrita fieret.

Et sanè cum gratia renovationis sit nihil aliud, quàm donum illud Spiritus sancti, quò legem suam Deus in corda fidelium scribit, & facit tales homines, qui in præceptis Dei ambulant, *Jerem. 31. Ezech. 36.* Paulus autem expressè de Abrahamo, qui in fide, virtute Spiritus sancti multa novæ obedientiæ opera secundum legem edidit, *Hebr. 11.* affirmeret *Rom. 4.* Operanti merces imputatur nõ secundum gratiam, sed secundum debitum: manifestum est, in Justificatione gratiam non significare novam obedientiam per Spiritum sanctum in credentibus inchoatam, sed misericordiam Dei propter Christum remittentis peccata, & donantis vitam æternam. Idem dictum Apostoli testatur, *Rom. 6.* Non estis sub lege, sed sub gratiâ. Ergo in Justificatione gratia nõ significat opera legis. quacunq; ratione.

Dein-

Deinde si gratia in Justificatione significaret etiam novitatem vitæ, tunc Paulus cum dixisset, ubi abundavit peccatum, magis abundat gratia, frustra objiceret, manebimus in peccato, ut gratia abundet.

Præterea Paulus opponens gratiam operibus *ἀπὸ δι' ἔργων* in Justificationis negotio *Rom. II.* Si secundum gratiam, non jam ex operibus, quandoquidem gratia non esset gratia, &c. Item, gratia salvati estis, non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus: manifestè excludit opera, ut causam & meritum, quæliacunq; illa sint. His accedit, quod aliis æquivalentibus vocibus hic sensus dictionis gratiæ illustratur, ut *Joh. 3.* Sic Deus dilexit mundum, &c. *Rom. 5.* Commendat autem Deus charitatem suam, quod cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Item: At postquam apparuit bonitas, & erga homines amor Servatoris nostri, non ex operibus, quæ sunt in Justitia, quæ faciebamus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, ut illius gratia hæredes essemus vitæ æternæ. Et talia plura extant in divinis literis documenta.

Particula *gratis* in nostro textu idem significat, quod *εἰς ἄν*, id est, frustra, absq; causa, quo sensu etiam alibi usurpatur, ut *Iohan. 15.* Oderunt me gratis. At vox *gratis* (Græcè *δωρεάν*) *Rom. 3.* usurpata à Paulo dicente: Justificamur

*gratis* per ipsius *gratiam*, singulare pondus  
 gnificationis habet. Nam ne quis cogitare  
 nos justificari à Deo per gratiã ipsius, propter  
 aliquam nostram dignitatem, vel ob aliquam  
 quę nobis insit aut inhæreat, conditionē qua-  
 cunq; ratione, addidit particulam *gratis*, quę  
 primò omne meritum nostrum & conditio-  
 nem in nobis excludit, ob quam iustifica-  
 mur, deinde potius meritum damnationis in  
 nobis esse, & tamen Deum per gratiam suam  
 gratis nos justificare ostendit.

De verbo imputandi, suo loco, c. 3. dicendi  
 occasio erit. Restat ut aliquid moneamus de  
 propositione: *Sola fides justificat*, quã Pontifi-  
 cii summoperè impugnant. Utuntur autē Ec-  
 clesię nostrę illã, non ut præsentia contitio-  
 nis, & bonorũ operũ à fide excludant, perin-  
 de ac si de mortua fide loquantur, quę merito  
 rejicitur, *fac. 2.* sed ut confiteantur, bona ope-  
 ra à ratione & conditione causę, meriti & ap-  
 prehensionis excludi, omnemq; justificandi  
 nos laudem Christo soli transcribãt, atq; so-  
 lam fidem testetur apprehendere promissio-  
 nem Evangelii, de nostra cum Deo per Chri-  
 stum facta reconciliatione. Etsi verò hæc pro-  
 positio, quoad literas & syllabas, in sacris lite-  
 ris nõ inveniatur: Attamen re ipsa in eis mul-  
 tæ æquipollentes sententię extant.

Cum enim Paulus in nostro textu affirmet:  
*Scientes, nõ justificari hominem ex operibus legis,*  
*nisi*

nisi per fidem Iesu Christi, prorsus hæc enuncia-  
tio æquipollet illi, *sola fide homo justificatur.*  
Quod n. Pontificii quidã hanc sententiã ex illa  
elicere conantur, quod homo nõ justificetur  
ex operibus legis, nisi per fidem, quasi opera  
per fidem factaificent, ut per quã sangui-  
ne Christi tincta, pondus & dignitatẽ justifi-  
candi acquirant: Hæc violenta expositio ab  
ipso Apostolo verbis mox seqq. refutatur, cū  
ait: *Et nos in Christum Iesum credidimus, ut ju-  
stificaremur fide Christi, & non ex operibus legis.*  
Ubi secundũ sententiã Pontificiorũ dicendũ  
fuiſſet, ut iustificaremur fide Christi cum o-  
peribus legis, vel operibus legis per fidem fa-  
ctis, & non simpliciter excludenda fuissent o-  
pera. Sæpius autem particula, *εὐὸ μὴ*, vel *εἰ μὴ*,  
in S. Scriptura usurpata, ubi sermo est de dua-  
bus vel pluribus rebus *ἀντιδιγρημεῖως* opposi-  
tis, ut una vel pluribus negatis, altera affirme-  
tur, priora membra prorsus excludit, & poste-  
rius solum asseverat.

Deinde Christus ipse particula utitur ex-  
clusiva, cum de fide loquitur, ut *Marc. 5. &*  
*Luc. 8.* ubi excitaturus Jairi filiam, sic illi dicit:  
*μόνον πίστευε*, id est, ne time, tantũ confide &  
salvabitur, &c.

Tertiò Apostolus Paulus aliis æquipollen-  
tibus utitur, ut cum affirmat, iustificari nos fi-  
de, sine operibus, gratis, per gratiam, sine le-  
ge, nõ ex lege, non per legẽ, non ex operibus.

Quartò, in primis etiam hoc notandum est, quod Syriaca translatio, quæ vetustissima se creditur, & ipsi Marco Evangelistæ à nullis adscribitur, ad *Rom. 4. v. 5.* sic expressit. Ei verò, qui non operatur, sed tantum creditur (Balchud) in eum, qui justificat peccatores, imputatur fides sua ad Justitiam, &c.

Quintò veteres Patres sæpiùs propositionem illam in eodem prorsus, quo nos, usurparunt. Causæ verò, ob quas illa in vero sensu retinenda sit, quicquid Pontificii obloquantur, in locis communibus sunt annotatæ. Reliqua de hoc loco servatione digna, in sequentibus per Domini gratiam monebimus, &c.

V. De liberatione Christianorum à lege. Quæ doctrina verbis Apostoli continetur. *Per legem legi mortuus sum*, id est, à lege liberatus. Quæritur igitur, quâ ratione à lege liberati sint Christiani? Quod enim ad legem moralem attinet, est illa æternæ veritatis, ut loquitur Augustinus, continens in se immutabilem Dei voluntatem, quæ etiam sanctis & renatis vitæ regula esse debet, à qua illis neq; ad dexteram, neq; ad sinistram deflectendum, sicut Paulus se mente ait *servire legi Dei*, & illam ut vitæ normam Christianis præscribit, *Rom. 13.* Proinde ratione hujus obedientiæ nõ est illis abolita lex per Christum, qui non venit, ut legem solveret, sed potiùs ut illam im-

pleret.

pleret. Deinde usus est legis in sanctis etiam, ut eis suas infirmitates, in carne reliquas ostendat, & de morbo convictos ad quærendam subinde in Christo medicinam impellat, qui est impletio legis ad justitiam omni credenti, *Rom. 10.*

Mortui autem sunt legi credentes in Christum, tum ratione Justificationis, quod per legem ejusque opera non justificantur, sicut id Apostolus ex professo in textu nobis proposito docet, tum ratione maledictionis: nulla enim nunc est condemnatio in his, qui in Christo Jesu sunt, *Rom. 8.* Item: Quis accusabit electos Dei? Deus est, qui justificat. Item: Lex spiritus vitæ per Christum Jesum liberavit me à lege peccati & mortis. Et rursus: Christus redemit nos maledicto legis, factus pro nobis maledictum, *Gal. 3. & 4.* Ubi venit plenitudo temporis, emisit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos, qui legi erant obnoxii, redimeret, ut adoptione jus filiorum acciperemus. Denique liberati sunt à lege Mosis, ratione dominii & coactionis, quia sancti, quatenus renati sunt secundum interiorem hominem, delectantur lege Dei & Spiritu spontaneo, virtute Christi, in ipsis viventis, Deo vivunt. His de causis Apostolus *1. Timoth. 1.* ait: *Lex justis non est posita, sed injustis, adulteris, &c.* Huc etiam pertinet illud Pauli *Rom. 6.* Non estis sub lege,

sed sub gratia. Deinde liberati sunt Christiani à legibus ceremonialibus, Sacerdotiū Leviticum, sacrificia, dies festos, & discrimen ciborum cōcernentibus, quib. mortui sunt Christiani, cum Christus legem mandatorum evacuaverit. Unde Petrus *Act. 15.* ait: *Quid temerè Deum, ut imponatur jugum super cervices discipulorum, quod neq. Patres, neq. nos portare potuimus? Et Col. 2.* Paulus: *Nemo vos, ait iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut novilunii, aut Sabbathorum, quæ sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi.* Quod autem ad res istis ceremoniis adumbratas & significatas attinet, illæ iam vigent in N. T. apud Christianos. Habemus enim spirituale Sacerdotium, altare & sacrificium, *Hebr. 13.* Habemus spirituales circumcissionem, *Rom. 2. Col. 2.* Spirituale Sabbathum, *Hebr. 4.* Spirituales hostias, *Rom. 12.* Quæ doctrina diligenter tenenda est, & contra Judæos veteres, item Ebionem & Cerinthum, ceremonias legis cum Evangelii doctrina permiscentes, & illas tanquam ad salutem necessarias urgentes, & contra Pontificios, qui ceremonias multas secundū legem Moſis in Ecclesiam reducunt, & illis vim meriti tribuunt, quin ita rigidè illarum observationem exigunt, ut qui illas negligunt, peccatum mortale committere censeantur.

IV. De sanctificatione & mortificatione peccati: qui locus ex verbis Apostoli oritur, qui-

quibus negat, *Christum esse peccati ministrum.*  
 Non enim ideò per Christum, qui pro peccatis  
 nostris passione & morte sua satisfecit, iustifi-  
 camur, ut Christus vel peccata à nobis admis-  
 sa approbet, vel in posterum illis patrocinium  
 præbeat, id est, ut per ipsum liberatis à peccato,  
 reliquo vite tempore peccatis frenum laxare li-  
 ceat, sicut Pseudoapostoli doctrinam Evange-  
 lii de gratuita peccatoris iustificatione calu-  
 mniati sunt, & adhuc Pontificii eandem tradu-  
 cunt. Nequaquam verò res ita habet. Non enim  
 doctrina illa Evangelii huc tendit, ut peccatum,  
 à quo credentes in Christum iustificati & libe-  
 rati sunt, tanquam domus diruta erigatur & de-  
 nudò ædificetur. Quin potius sancti per legem  
 accusantem peccata, terrentem & damnantem con-  
 scientias, ac proinde ita mittentem ad Christum,  
 legi mortui sunt, id est, à legis maledicto & co-  
 actione liberati, ut deinceps Deo vivat, quod  
 fit, si fide iustificati pace & lætitia conscientie  
 fruuntur, & deinceps ad voluntatem Dei, secun-  
 dum legis normam, Spiritu spontaneo vivant,  
 atque ita virtute Christi, cum quo crucifixi, id  
 est, cui crucifixo per fidem implantati sunt, car-  
 nem cum suis concupiscentiis crucifigant, & pro  
 maledicto habeant. Sicut B. Apostolus hanc di-  
 vine & spiritualis vite causam Christo in ipso vi-  
 venti, in cuius fide & ipse vivat, atque adeò toti  
 Christi merito adscribit verbis evidentibus. *Vi-  
 vo a jam non ego, sed vivit in me Christus. Vitam  
 quam*


quam nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei  
 qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.  
 Quam doctrinam etiam Roman. 6. Apostolus  
 tradit, ajens: Qui mortui sumus peccato,  
 quomodo posthâc vivemus in illo. Item: Li-  
 berati à peccato, servi facti estis justitiæ. Et  
 rursus: Liberati à peccato, servi estis facti Deo.  
 redempti scilicet pretioso sanguine Christi in  
 Dei peculium, habetis fructum vestrum in  
 sanctificationem, & quæ per totum illud ca-  
 put de sanctificatione & mortificatione pec-  
 cati egregiè disserit Apostolus. Finem hunc  
 liberationis nostræ à peccato omnium lucu-  
 lentissimè exprimit Apostolus Tit. 2. Illius  
 enim gratia Dei salutifera omnibus homini-  
 bus erudiens nos, ut abnegata impietate, &  
 mundanis concupiscentiis, sobriè, & justè, &  
 piè vivamus in presenti vita, expectantes bea-  
 tam illam spem & illustrationem gloriæ ma-  
 gni Dei & Servatoris nostri Jesu Christi, qui  
 dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret  
 nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi po-  
 pulum peculiarem, sectatorem bonorum o-  
 perum. Quæ notanda etiam sunt contra Li-  
 bertinos impuros canes, doctrina illa de libe-  
 ratione nostræ à peccato abutentes, ad confir-  
 mandam carnis licentiam, gratiam Dei trans-  
 ferentes ad lasciviam, ut B. Judas de illis præ-  
 dixit, quod aliud non est, quàm Christum fa-  
 cere peccati ministrum & patronum.

VI. Singulos fideles de gratia & dilectione Dei erga sese, de remissione peccatorum, & salute sua certos esse debere, docet Apostolus suo exemplo, quod his verbis proponit: *Vivo autē jam non ego, sed vivit in me Christus, vitam autem quam nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.* Etsi enim Apostolus, licet renatus, sibi suarum infirmitatum erat conscius, sicut *Roman. 7.* conqueritur; se carnalem esse, venditum sub peccatum, habitare in se peccatum, non reperire se ut faciat bonum, non quod velit bonum hoc facere, malum quod nolit facere, se à lege membrorum suorum captivum reddi legi peccati: Tamen ab illis se ad Christum Filium Dei convertit; & *in fide illius se vivere* ait: *qui, inquit, dilexit me, & tradidit semetipsum pro me,* certo persuasus, illius obedientia omnem suam in carne reliquam infirmitatem, imò omnia majora & minora peccata sua tegi, cujus sanguis emundat nos ab omni peccato, *1. Joh. 1.* Ita ut nulla sit in ipso damnatio, *Rom. 8.* Unde summa *ἀληγοφεία* affirmat: Persuasum mihi habeo, quod neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; instantia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profunditas, neque ulla alia creatura poterit nos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro, Hoc est quod ipse Christus docet, *Johan. 3.*

han. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Credere non est dubitare. Debent potius credentes dubitationi reluctari, & exemplo Apostoli se à sua infirmitate & indignitate ad Christum convertere, cujus virtus in infirmitate perficitur, 2. *Corinth.* 12. Orantes simul cum patre Lunatici, credo Domine, sed succurre incredulitati meæ, *Marc.* 9. Hanc doctrinam Evangelii consolationis plenissimam damnant Pontificii, auferentes à fide iustificante fiduciam, quam ut superbiam & præsumptionem reiiciunt, contra autem dubitationem vel spem incertam de salute ob infirmitatē, indignitatem, seu ut ipsi loquuntur, indispositionem ut humilitatem prædicant. Et quod amplius est, doctrinam hanc nostram, qua unumquemq; in individuo de propria sua salute certum esse debere, confirmemur, anathemate ferit Concilium Tridentinum. Ita enim decernit in sessione 6. Canone 12. Si quis dixerit, fidem iustificantem nihil aliud esse, quàm fiduciam divinæ misericordix peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur, anathema sit: Item Can. 13. Si quis dixerit, omnino homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut certò credat, & absq; ulla hæsitatione propriæ infirmitatis &

& indispositionis, peccata sibi esse remissa, anathema sit: Et rursus Can. 15. Si quis dixerit, hominem renatum & iustificatum teneri ex fide ad credendum, se certò esse ex numero prædestinatorum, anathema sit.

Contrarium docet Johannes Apostolus 1. *Epist.* 5. Hæc scripsi vobis, qui creditis in nomine Filii Dei, & hæc est fiducia, quam habemus erga eum, quod si quid petierimus secundum voluntatem eius, audit nos. Et si scimus, quod audit nos, scimus quod habemus petitiones, quas postulavimus ab eo. Et 1. *Johan.* 3. Charissimi nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit id, quod futuri sumus. Scimus autem, quod si apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est. Cùm itaque Deus in promissione Evangelii certos nos reddat de sua gratia & dilectione, & nos promittenti sibi credere velit, quin imò confidere, bono animo esse iubeat, cùm illam suam erga nos benignam voluntatem iureiurando confirmet, Sacramentis testificetur, & Spiritu sancto, arrhabone hæreditatis obignet: quin etiam dubitationem manifestè reprehendat, cuius manifestum est, fidem rectè definiri fiducia certa, & dubitationem Pontificiorum reiici.



## CAPUT III.

## ARGUMENTUM.

*Premissa acri Galatarum ob inconstantiam in tenenda fide Evangelii pura objurgatione principalem propositionem, quae est, hominem justificari sine operibus legis, fide Jesu Christi, confirmare pergit pluribus argumentis, inter quae in postremis est exemplum Abrahae, & fidei gratia cum ipso initum, & simul ad quadam obiecta respondet.*

## PARTES CAPITIS III.

Sunt igitur quatuor partes capituli. Prima est objurgatio. Secunda confirmatio propositionis principalis. Tertia responsio ad objectiones quasdam de usu legis. Quarta expositio modi, quo filii Dei fiunt.

## I. PARS.

*O Stulti Galatae.*

Inferit B. Apostolus disputationi suae, de gratuita hominis peccatoris coram Deo Justificatione acrem objurgationem, qua Galatas ob suam ab agnita veritate Evangelii defectionem reprehendit: *O Stulti*, inquit, *Galatae, quis vos fascinavit, ne crederetis veritati.* Sunt qui Apostolum Galatis innatam quasi stultitiam & ingenii tarditatem objicere putant, cum gens illa, juxta Hieronymum & Hilarium, ex Gallis bardis & stupidis orta, pro stolidis & indo-

indocili habita fuerit. Sed revera ex ipsius rei presentis indignitate illos stultitiæ & dementiæ arguit, cum magna sit dementia, ab agnita veritate, de qua convicti fuerant, ad mendacia, à sana doctrina ad errores, à luce ad tenebras desultoriâ levitate resilire. Quae de causa severiore illa objurgatione digni erant. *Quis vos fascinavit, ne crederetis veritati?* Mirigatio quædam objurgationis his verbis inest, quando in Pseudoapostolos seductores & impostores culpam *δουλοσίας* eorum transfert, ut quorum præstigiis & imposturis à sana doctrina averfi fuerant. Delusionem, deceptionem ac seductionem Pseudoapostolorum metaphoricè fascinationem quasi incantationem appellat. Porro fascinatio triplici modo fieri creditur. *Primum:* Aspectu, cum quis visu & aspectu malefico nocet, de qua fascinatione Poëta loquitur: *Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.* Unde Græcum verbum *βασναίνειν* dictum putatur, sicut Erasmus notat, quasi *φάεσσι* *ραίνειν* luminibus vel aspectu corrumpere seu nocere. *Secundò*, cum pestifera laudatione quædam mulieres lædere, in primis pueros, dicuntur. *Tertiò*, cum quasi offusis præstigiis oculi deluduntur, ut quis non hoc, quod verè ante oculos est, videat, sed aliud quid pro ipso cernere se putet. Etsi verò secundum primum fascinationis genus quidam hunc

H

locum

locum interpretantur, ac si nonnulli ex  
 dia Galatas à Christo ad legem seu ejus  
 vritutem seduxerint: Quidam verò juxta  
 cundum genus, pestifera laudatione, ac ver-  
 borum lenociniis à Pseudoapostolis Galatas  
 a verfos à veritate intelligunt, idque non  
 convenienter: Tamen tertium fascinationis  
 genus maximè huc congruit, quod falsi  
 postoli quasi offusis præstigiis mentes Gal-  
 tarum deluserint, & specioso prætextu de-  
 mentavarint, ut pro veritate errorem am-  
 plexi sint, id quod innuit verbis illis Apo-  
 stolus, *Ne crederetis veritati*. Convicti jam  
 antea prædicatione Apostolica veritati cre-  
 diderant, sed indicat jam seductos illam ab-  
 jecisse, ut ne obediant ei amplius. Indignitas  
 rei, id est, desultoria ista levitas Galatarum  
 ob quam reprehensione hac digni erant, ex  
 seqq. verbis Apostoli elucet: *Quibus Jesus  
 Christus ob oculos ante depictus est, inter  
 crucifixus*. Significat enim ἐπέγγραψεν, id est, e-  
 videntiam, perspicuitatem & efficaciam E-  
 vangeliæ apud Galatas, qua ita luculenter  
 Christus cum passione, morte, omniq; suo  
 merito ipsis annunciatus, & mentibus ipso-  
 rum impressus sit, ut veluti in tabella ipsis  
 descriptus, vel ante oculos eorum clarissimè  
 depictus, non in Judæa, sed ante oculos ipso-  
 rum inter ipsos crucifixus videretur. Quod  
 itaq; ita leviter ab hac agnita veritate, de qua

evidenti Apostoli prædicatione cōvicti fuerant, se averti & dementari passi sunt, in eo hanc tam severam objurgationem merebantur.

LOCI COMMUNES I. PARTIS

Cap. III.

Ministros verbi non semper lenibus exhortationibus, sed pro re nata interdum severioribus & acrioribus objurgationibus, tanquam stimulis & calcaribus apud auditores suos uti decere, docet exemplum Apostoli, qui Galatas hic *ἀνοήτους*, id est, amentes appellat, eorumque ab agnita veritate defectu, graviter redarguit. Neque verò id hoc verbis Christi repugnat, *Matth. 5.* dicentis: Si quis fratri suo dixerit, *fatue*, obnoxius erit gehennæ incendio. Non enim indignationis & odii, sed charitatis ad ædificationem hæc reprehensio est. Ita Christus ipse discipulos duos Emaunta proficiscētes, stultos & tardos corde ad credendum in omnibus, quæ locuti essent Prophetæ, vocat ad ipsorum ædificationem, *Luc. 24.* Multò igitur acriore reprehensione digni erant Galatæ, qui ab Evangelii semel accepti puritate se averti magna levitate passi fuerant. Noverrint autem ministri, ira moderandas esse objurgationes, ut auditores intelligant, non illas ex odio personarum, sed desiderio salutis & emendationis proficisci, sicut Apostolus

postea tum in hoc, tum sequenti capite haec acriorem reprehensionem mitigat. Unde regulam præscribit 2. *Tim.* 4. Argue, increpa, exhortare in omni lenitate & doctrina.

II. Notandum, quod Apostolus deceptionem & seductionem in errorem *fascinationem* & *delusionem* appellat. Quemadmodum enim artibus magicis Satanas præstigias hominum oculis offundit, ut putent videre se, quod vera non adest: Ita etiam idem ille πανουργος & mille artifex per Pseudoapostolos & falsos Doctores mentes hominum deludit, ut eis pro veritate persuadeat mendacium. Hanc fascinationem & πανουργίαν, (id est, versutiam) Satanae Paulus *Ephes.* 4. κυβείαν ἢ πανουργίαν πρὸς τὴν μεθοδίαν τῆς πλάνης appellat, cum monet, ne amplius simus pueri, qui fluctuamus quovis vento doctrinae, per versutiam hominum, per astutiam, qua nos adoriuntur, ut imponant nobis. Hoc esse studium Satanae, ut ita, dum per falsos Doctores errores pingit, scripturasque torquet ad falsa dogmata pallianda, homines ad se alliciat, testatur Apostolus *Act.* 20. Qua de causa prudentia opus est Christianis singulari, & attentione, ne ita se à Satana ejusque organis fascinari & deludi patiantur. Quod fit, si semper præcedentes verbum vitae sedulo orent ex *Psalmo* 68. ut Dominus opus, quod in ipsis incepit & operatus est, confirmet, & deinceps à malis

lis illis operariis, ministris injustitiæ, quorū  
 finis erit secundū opera ipsorum, diligenter  
 sibi caveant, secundum præscriptum Christi,  
*Matth. 7. 24. 1. Joh. 4.*

III. Pastores Ecclesiarum in hoc sedulo  
 enitantur, ut ob oculos auditorum suorum  
 Christum Jesum depingant, ut non de Chri-  
 sto crucifixo audire, sed ipsum inter sese cru-  
 cifixum oculis suis cernere sibi videantur.  
 Quod fit, si non concionibus suis sublimia  
 affectent, sed Christum crucifixum simplici-  
 ter, expressè ac perspicuè annuncient, ita ut  
 etiam fructum passionis & mortis ejus po-  
 pulo sibi commisso fideliter inculcent, & in-  
 de ex ejus consideratione firmam consola-  
 tionem percipiat. In quo omnium maximè  
 elaborasse Apostolum nostrum, tum ex hoc  
 loco apparet, tum infrà ex *Cap. 4.* ubi ait:  
*Quos iterum parturio, donec formetur in vobis  
 Christus.* Olim in Papatu non Christum cru-  
 cifixum simpliciter, sacrificuli & monachi  
 docuerunt, sed ex Aristotelis Metaphysicis  
 plerunq; inanes subtilitates, & ex sanctorum  
 legendis nugas populo proposuerunt, unde  
 nihil solidæ consolationis percipere potuit.  
 Nos cum in Christo crucifixo omnem glo-  
 riam & salutem nostram positam esse scia-  
 mus, hunc præcipuè depingamus ob oculos  
 populi Christi, ut is in cordibus ejus forme-  
 tur.

## II. PARS CAP III.

Objurgationē sequitur confirmatio principalis propositionis. *Hominem non operibus legis, sed fide justificari.* Primum argumentum ex effectis sumptum est, donis scilicet Spiritus S. per prædicationem Evangelii ad confirmationem collatis. *Hoc solum volentes scire à vobis, ex operibus legis spiritum accipistis, an ex auditu fidei?* Argumentum hoc analogismo concludi potest: Ex illa doctrina justificatio, per quam datur Spiritus S. non per legem, sed per prædicationem fidei, id est, per doctrinam Evangelii, de gratia Dei erga nos, & salute nostratur, ex cujus prædicatione & auditu fides percipitur: Ergo non ex lege ejusque operibus, sed ex doctrina gratiæ & salutis est justificatio. Per Spiritum Apostolus intelligit ei Quarta & dona visibilia Spiritus sancti, ut donum linguarum & aliorum miraculorum, imò etiam dona sanctificationis, ut sunt Spiritus gratiæ & precum, arrhabo hereditatis nostræ, donum patientiæ in adversis. *Per auditum fidei*, ut est in Græco textu *μελῶν πίστεως*, Apostolus doctrinam gratiæ Dei & salutis intelligit, quia ex hujus prædicatione & auditu confertur fides, *Rom. 10.* Urget autem Apostolus Galatas interrogatione, ut tantò plus ponderis habeat argumentū & ita magis convictos Galatas ad agnoscendam de-

mentiam suam adigat. Sicut, quæ subjicit verba, satis id demonstrant: *Adeo stulti estis, cum Spiritu inceperitis, carne consummaminini*, quasi dicat, nimis magna est vestra dementia, cum secundum doctrinam nostram, quæ veritas est, fide quæ ex prædicatione & auditu non legis, sed Evangelii est, justificati sitis, cujus rei argumentum certum sunt visibiles gratiæ Spiritus S. donum linguarum & miraculorum, sicut & dona sanctificationis & oblationis gratiæ, in vos prædicatione Evangelii effusæ, nunc carne perficimini, id est, ad legem relabimini, ut in ejus ceremoniis & operibus perfectionem Justificationis quæritis, quæ tamen Spiritum S. nõ conferunt ( hoc est, non regenerant, non renovant vos Spiritu mentis per Spiritum sanctum, sicut Evangelium ) sed homines relinquunt carnales, unde *Hebr. 10. δουρατώματα σαρκός*, id est, Justitiæ carnis ceremoniæ legis de lotionibus, de discrimine ciborum, de sacrificiis, & ad carnis puritatem sanctificare dicuntur. Absurdum autem est, eos qui Spiritu inceperunt, carne velle perfici, & ab eo quod melius est, ad id quod deterius est, relabi. Præter hoc absurdum etiam & incommodum eis in mentem revocat: *Tam multa passi estis frustra, si tamen Es frustra*, id est: Cùm primum Evangelium de Christo crucifixo, in quo solo Justitia & salus nostra sita est, ac-

cepistis, simul Dominus in vobis illuminavit, & pœnitentiæ doctrinam  
 vos ornavit, ut propter illud multa sustinueritis certamina, cum gaudio facultatum ve-  
 strarum direptionem acceperitis & probra afflictiones & exilia perpe-  
 ssi sitis. Quæ omnia, si iam ad aliud doctrinæ genus, id est  
 ab Evangelio ad legis ceremonias & opera resilitis, in illis causam salutis collocantes,  
 vel contra Evangelium cum Christo operam legis in salutis causa coniungentes, frustra  
 passi estis, ab effectu incommodo scilicet. *Mittenda tamen reprehensionis causa additur, si tamen & frustra*, indicans, se nondum sperare eos redituros, unde exciderant. *Qui vobis subministrat Spiritum, & operatur virtutes in vobis, ex operibus legis, an ex auditu fidei?* sc. id facit. *Επιμνησθησθε*, id est, commemoratio in proposito argumēto, qua illud expoliens Galatas arctius premit in hanc sententiam. *Qui vobis subministrat Spiritum*, id est, gratias visibiles Spiritus sancti, & etiam Spiritum adoptionis, donum patientiæ, qui operatur in vobis virtutes miraculosas, ut sunt donum linguarum, eiection spirituum immundorum, sanationes ægrotorum, &c. *An ex operibus legis id facit, an ex doctrina salutis & gratiæ, ex cuius doctrina est fides.* Ipsi confiteamini necesse est, Deum in vos, non

secun-

secundum legem operantes, sed Evangelio  
 credentes, & vera fide Christum Jesum ap-  
 prehentes, *καὶ ἐκείνη* illa contulisse. Et  
 hoc est primum argumentum, quo Galatas  
 suę ipsorum experientię commonefacit. Se-  
 cundum argumentum ex scripturis petitum  
 sequitur, & quidem ab exemplo Abrahamę. Sic  
 ut Abraham credidit Deo, & imputatum est ei  
 ad justitiam. Cognoscitis igitur, quod qui ex fide  
 sunt, hi sunt filii Abrahami. Providens autem  
 scriptura, quod ex fide justificat gentes Deus, pro-  
 nunciavit Abrahamę, quod benedicentur in te o-  
 mnes gentes. Itaq; qui ex fide sunt, benedicentur  
 cum fidei Abraham. Hęc verba continent  
 hoc Enthymema: Abraham fide justificatus  
 est, & benedictionem accepit. Ergo qui cre-  
 dunt, hi ut filii Abrahamę veri justificantur, &  
 benedictionem accipiunt. Antecedens est  
 testimonium Scripturę *Genes. 15.* Etsi verò  
 ab exemplis argumenta non semper sunt fir-  
 ma & *καθόλου* concludunt: Ab hoc tamen ex-  
 emplo rectè *τὸ καθόλου* concludit Apostolus  
 & consecutionis ratio hęc est: Quia Abra-  
 ham proponitur in Scriptura, ut pater & u-  
 niversale exemplum omnium credentium.  
 Deinde, quia una est ratio consequendę Ju-  
 stitię & benedictionis, quam pronunciat  
 divino demonstrat hęc Apostolus ex *Gen. 22.*  
*In te benedicentur omnes gentes terra.* Unde  
 Paulus *Rom. 4.* Idem Exemplum Abrahamę sic

ad propositum suum applicat: *Non scriptum est autem, propter illum tantum imputatum fuisse illi, sed etiam propter nos, quibus imputatur creditur credentibus in eum, qui excitavit Dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter peccata nostra, & excitatus est propter justificationem nostram.* Opera autem tium est textum enucleatius explicare. *Domini quæritur hic de loco scripturæ, quem ex 15. cap. Genes. Apostolus allegat. Cum Dominus det Abrahamæ promissionem, de rebus corporalibus, nempe multiplicatione feminis ejus, quam ille fide apprehendit, quomodo hic locus Apostoli instituto stitia coram Deo stabilienda, inservire sit? Impertinenter enim ab ipso allegatur: Dominus enim eduxit Abrahamam foras, & dixit: Suscipe nunc cælum & mera stellas, si poteris numerare eas, additque: Sic erit semen tuum; mox sequitur: Crediditque Abraham Deo, & imputatum illud ei est ad Justitiam. Summa quæstionis est: Quomodo fides occupata in promissione de semine carnali imputetur Abrahamæ ad Justitiam. & autem vera, tum ex illo, tum ex aliis locis Geneseos & Pauli Apostoli petitur. Nam illo ipso textu 15. capituli Dominus promisit Abrahamæ: *Ego scutum tibi (scilicet ero) merces tua multa valde.* Respondit Abraham, *Domine Jehova quid dabis mihi, cum ego incedam**

*dam absq; liberis.* Unde hoc concludimus, Abrahamum alias Dei promissiones de protectione, de mercedis retributione non potuisse fide accipere, nisi primùm principalem promissionem de benedicto semine, in quo omnes gentes terræ essent benedicendæ, fide apprehendisset. Jam antè enim 12. cap. Dominus illi promiserat: *In te benedicentur omnes familiae terræ.* Ubi Dominus promissionem primam: *Semen mulieris conteret caput serpentis,* ad Abrahami semen restrinxit, in quo solo promisso semine omnes aliæ promissiones sunt Amen, 2. Cor. 1. & propter hanc, promissionem carnalis seminis plurimi fecit. Hujus principalis promissionis appendices fuerunt, aliæ de rebus temporalibus. Ita etiam illa, quod *Genes. 17.* Dominus ait: *Ego ero Deus tuus,* fundata est in promisso semine. Et illa, quod ibidem dicit: *Patrem multarum gentium constitui te,* nō in alio semine carnali, sed in Christo solo fundata est. Propter fidem enim in Christū, cujus diem vidit Abraham fide, ut Dominus *Joh. 8.* testatur: Pater multarū gentiū dicitur, ut quicumq; fide Christum semē illud benedictum Abrahamæ, intuentur, & in eo justitiam, benedictionem & salutem quærunt, hi sint filii Abrahamæ, sive sint ex Judæis, sive ex gentibus. Qua ratione Abraham ut pater, & universale exemplum omniū fidelium hîc proponi.

ponitur ab Apostolo. Semper itaq; omnium  
 aliarum promissionum fundamentum  
 semen illud benedictum, ad quod etiam  
 promissione illa seminis carnalis & terre Ca-  
 naan Abraham respexit. Deinde explicanda  
 erant voces singulæ illius pronunciati  
 pturæ, *Abraham credidit Deo*, quid autem  
 per fidem & justitiam intelligatur, sup. cap.  
 te dictum est. Verbum imputandi hic expe-  
 dendum est.

Cùm autem fides dicitur imputata esse A-  
 brahæ ad Justitiam, non significat scripturam  
 quod in Abrahamo vel fides per se, ut est  
 pus primi præcepti, vel opera ex fide proba-  
 ta, vel fides cum operibus Abraham, sit im-  
 putata ad Justitiam. Nam hoc jam antea in  
 genere negavit Apostolus de omnibus justifi-  
 ficatis, tum postea negat, cùm fidem qua-  
 tenus ad Justitiam imputatur, negat esse ex  
 lege. Quin potius ad *Roman. 4.* expressè hoc  
 negat de Abrahamo: si Abraham ex operi-  
 bus justificatus est, habet quod gloriatur, at  
 non apud Deum. Quid enim scriptura dicit?  
 Credidit autem Abraham, & imputatum est  
 ei ad Justitiam. Ei verò qui operatur, merces  
 debetur seu imputatur non secundum gra-  
 tiam, sed secundum debitum. Porro ei qui  
 non operatur, sed credit in eum, qui justifi-  
 cat impiũ, imputatur fides sua ad Justitiam.  
 Etsi verò in Abrahamo tum renato fuit no-  
 va obe-

va obedientia, qui tum ductu Sp.S. in medio  
 cursu bonorum operū fuit: tamen non hæc,  
 sed fides illi imputata est ad Justitiā. Quæ cau-  
 sa? quia nova ejus obedientia fuit imperfe-  
 cta. Nec enim ille melior fuit Apostolo, qui  
 renatus dicit, sibi peccatum adjacere, & in  
 carne sua non habitare bonū, ut potius fue-  
 rit opus peccata tegi & non imputari, quàm  
 opera imputari ad Justitiam, sicut Paulus a-  
 pertè pronunciat Deum justificare impium.  
 In Hebræo textu est verbum *Kaschaph*, quod  
 Græcè λογίζεσθαι redditur, id est, certo Judicio  
 cogitare vel reputare. Deus est igitur, qui  
 certo Judicio secundum beneplacitum vo-  
 luntatis suæ imputavit, & cogitavit Abrahæ  
 fidem ad Justitiā. At quo fundamento? Num  
 sine fundamento Justitiæ? sine fundamento  
 certè Justitiæ inhærentis in homine, sed ta-  
 men non sine Justitia Christi, cujus perfecta  
 obedientia fide apprehensa justii constituun-  
 tur multi. Quem Christum ut semen bene-  
 dictum, in quo ipse & omnes gentes terræ  
 benedicendæ erant, oculis fidei intuitus ga-  
 visus est Abrahā, justus nempe corā Deo pro-  
 nunciatus, & hæres omnium cœlestium bo-  
 norum constitutus. Cùm verò Abraham pa-  
 ter multarum gentium dicatur, non ratione  
 carnalis propagationis, sequitur illum ratio-  
 ne promissionis gratiæ patrem esse multitu-  
 dinis, ut quemadmodū ipse promissionem  
 bene-

benedictionis apprehendit fide, ita quic  
 que vocati per annunciationem Evange  
 eandem promissionem fide amplectuntur  
 hi filii Abrahæ censeantur, & benedictionem  
 accipiant, sicut inquit Apostolus: *Cognoscitur  
 igitur quod qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ*:  
 Hoc verò ait Apostolus jamdudum præ  
 vidisse scripturam, id est, S. Spiritum in scrip  
 pturis, quod scilicet Deus ex fide gentes jus  
 tificet, & proinde prænucciasse Abrahæ, be  
 nedicentur in te omnes gentes vel familie  
 terræ, *Genes. 12.* Ubi notanda est particularitas  
 te, qua non indicat, Abrahamum fore cau  
 sam Justificationis, sed tum ut universalem  
 exemplum proponit omnium fidelium, qui  
 cum ipso sint benedicendi, tum digitum in  
 tendit in semen benedictum, ex ipso nati  
 turum, nempe Salvatorem mundi, qui mor  
 te sua reconciliaturus sit humanum genus  
 Deo, qui aboliturus sit maledictionem, id  
 est, mortem & damnationem æternam, & æ  
 ternam redemptionem sua unica oblatione  
 acquisiturus, sicut *22. cap. Genes.* Dominus  
 expressius dicit: in semine tuo benedicentur  
 omnes gentes terræ. Hanc promissionem fi  
 de apprehendit Abraham, & in illa diem  
 Messia vidit ac gavisus est, *Joh. 8.* Itaq; qui ex  
 fide sunt, id est, qui eandem promissionem  
 fide apprehendunt, & in hoc semine be  
 nedicto, ut in petra salutis, acquiescunt, hi  
 bene-

benedicuntur cum fideli Abraham, id est, li-  
 berati per ipsum à maledictione & morte æ-  
 terna, benedictionis spiritualis, Justitiæ &  
 vitæ æternæ fiunt participes cum Abraha-  
 mo. Sicut autem secundo hoc argumento  
 demonstravit Apostolus, Justitiam esse ex fi-  
 de: ita jam ostendit ex lege Justitiam non es-  
 se, idque ab effectis contrariis legis & fidei.  
*Quotquot enim ex operibus legis sunt, sub male-*  
*dicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus o-*  
*mnis qui non permanserit in omnibus quæ scri-*  
*pta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Argumen-  
 tum tale est: Quicquid maledictione operatur,  
 Justitiam & benedictionem afferre non  
 potest. Lex autem operatur maledictionem.  
 Ergo benedictionem & vitam non affert.  
 Propositio per se manifesta est, ob contra-  
 rios effectus se mutuo removeñtes, idè illa  
 ab Apostolo omiſſa, assumptionem confir-  
 mat testimonio divino, *Deut. 27. c.* Ubi ver-  
 ba Moſis sic habent: Maledictus qui non  
 statuerit verba legis istius faciendo ea. Pau-  
 lus autem sententiam expressit inserto uni-  
 versali signo, cui certò indefinitum effatum  
 Moſis æquipollet, id quod Hebrææ vocis  
 emphasis exigit ab *Hekim* stabilivit, & cum  
 per species legem enarrasset Moſes, jam sub-  
 infert, maledictus omnis qui non stabilive-  
 rit verba legis istius faciendo ea. Est igitur  
 hujus enunciati sententia: lex quidem vitam  
 pro-

promittit illis, qui ejus verba stabiliunt, est, plenè præstant & perfectè implent, quoad obedientiam nihil desiderari possit, sicut paulò pòst idem docet Apostolus. *Quis enim in uno reus est, in omnibus reus est, Job. 2.* Non autem stabilientibus verba comminatur maledictionem. At nemo minimum est, qui legis verba omnia perfectè servet & firmiter stabiliat, sed potius omnes homines declinaverunt, & inutiles facti sunt. Ergo omnes homines sunt sub maledictione legis, & consequenter ex lege non est justitia. Econtrario Apostolus ut legi Justificationis coram Deo effectum adimat, fidelium meritum tribuit, adducens testimonium Prophetæ *Habac. 2. c.* quo ipso etiam ad *Rom. 1. ult.* in eadem causa, inquit: *Quod autem in lege nemo justificetur, apud Deum manifestum est, quia justus ex fide vivet. Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea homo vivet in eis.* Sententia Apostoli hæc est: Omnis justus vel justificatus fide sua justus est & vivet, id est, fide verè apprehendit & possidet vitam æternam. Qui est ex lege, non vivet ex fide: Ergo qui est ex lege, non est justus vel justificatus coram Deo. Major propositio est testimonium Prophetæ Habacuc. Assumptionem Apostolus sic enunciat, lex non est ex fide, addens mox pro confirmatione ejus testimonium *Mosis ex Levit. 19. 6.* *Qui fecerit ea homo vi-*  
*vet*

*vet in eis.* Cujus dicti hæc est sententia: Lex non promittit vitam æternam homini ex fide, sicut Evangelium, sed habet annexam conditionem perfectæ obedientiæ, & impletionis atq; ita plene & absolute illam præstantibus promittit vitam æternam. Cum autem nemo illam perfecte impleat, palam est, neminem ex lege justificari & vivificari. Jam sequitur quartum argumentum Apostoli à persona redemptoris, vel ab ipso fidei nostræ objecto ac materia. Quo Apostolus ostendit, eum, qui nos à legis maledicto redemit, nimirum Christum. Cum enim nemo legem perfecte præstet, ac ideo omnis homo sub ejus maledicto sit, opus est medico vel sponsore, qui legi satisfaciens maledictum aboleat. Sic igitur subjicit Apostolus: *Christus nos redemit a maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Scriptum est enim: Maledictus qui pendet in ligno.* Vis argumenti sita est in personæ Christi sanctitate & innocentia, atq; in imputatione nostrarum iniquitatum & debitorum. Christus enim *ἁγὸς ἁγῶν* sanctus sanctorum, innocens, impollutus & segregatus est à peccatoribus, *Hebr. 7.* In hunc Pater cœlestis fecit concurrere omnium nostrorum iniquitates, *Esa. 53.* & is pro nobis factus est peccatum, *2. Cor. 5.* dum nostra peccata in se recepit, ac proinde etiam maledictum legis, iram Dei, & mortis sententiam

in sese derivavit. Is pro nobis exsolvit, & sustinuit  
 non rapuit, atq; sic pro nobis factus maledictum, & ad spem  
 ctum, nos à maledicto legis redemit. Non suspensum  
 dum autem, quod Apostolus dicit, Christus factus est  
 factum esse *pro nobis maledictum*, utens vocabulo Dei  
 abstracti, ac si quis flagitiosum & sceleratum infer  
 hominem flagitium & scelus appellet. Non vitium  
 nunt enim emphaticè, verè Christum esse Mose  
 iniquitates nostras, verè in sese recepisse, & Ju  
 Dei, legis maledictionem, & pœnam non suspende  
 peccatis debitam, & fuisse in oculis Dei maledictum  
 ledictum. Proinde hâc victimâ ira Dei in iniqui  
 cata est, & nos à legis maledictione liberavit. Nec  
 redempti. Quod autem Christus verè maledictus, & p  
 ctus maledictû, & execrabilis in oculis Dei, & nostra  
 ex 21. cap. *Dent.* docet Apostolus: ubi scriptum est, ex in  
 ptum est: Maledictus omnis, qui pendet erga ne  
 ligno. Hebræa veritas habet: Maledictio Dei peccata  
 est suspensus. Quamvis verò lex loquatur de peccatis  
 de crucifixione, quæ Romanis usurata fuit, & non  
 quorum consuetudine Christus crucifixus fuit, & non  
 est, sed de iis, qui vel ob idololatriâ, aut blasphemiam,  
 aut aliud grande scelus, ut Judæi censent, lapidati  
 suspendebantur: tamen infamia & supplicii atrocitas  
 par est in crucifixione & suspensione alia. Porrò  
 hujus legis sententia cum generalis sit, rectè ab  
 Apostolo accommodatur ad Christum. Ita enim  
 Moses loquitur: *Quum fuerit in aliquo peccatum  
 & judicium mortis, & interficiendus fuerit.*

*fuerit, & suspenderis eum in ligno, &c.* Unde à genere ad speciem rectè concludit Apostolus: *Suspensus in ligno est maledictio Dei: Christus est suspensus in ligno: Ergo est maledictio Dei.* Quod verò Paulus signum universale inseruit, quod in Mosis textu non est, eo voluit vim illius sententiæ exprimere, siquidē Moses loquatur de eo, in quo sit peccatum, & Judicium mortis, ut interficiendus & suspendendus sit in ligno. Quod Judiciū mortis in Christum, in quem omnium nostrū iniquitates concurrunt, maximè competit. Neq; nobis fastidio sit, quod Christus dicitur à Paulo maledictio. Nam in eo salutis nostra ratio consistit, quòd Pater cœlestis, ex immensa charitate & commiseratione erga nos, filio suo per se sancto, & ab omni peccato immuni, omnium nostrū iniquitates imputavit, quas ipse sibi applicavit, & quasi proprias fecit, ut propter illas sub hoc onere, in oculis Dei, verè esset execrabilis & execratio. Inde enim obedientia Christi nobis imputatur, qua justī constituimur, unde ad nos, sublatā maledictione & deletō per ipsum peccato, redit benedictio, sicut Apostolus fructū derivati in Christum reatus exponit, inquiens: *Ut in gentes existeret benedictio Abrahæ, per Christū Jesum.* Benedictionis vox opposita maledictioni, id est, sententiæ mortis & damnationis, significat remis-

tionem peccatorum, Justitiam & vitam æternam. Hujus benedictionis autorem, causam meritoriam & donatorem designat, Christum Jesum. Ne autem de illis tantis bonis non esset dubium, indicat alterum fructum redemptionis per Christum partæ, ut promissionem Spiritus (id est, promissum Spiritus S.) accipiamus per fidem. Loquitur Apostolus de Spiritu adoptionis & gratiæ, atque bone salutis nostræ & hæreditatis æternæ qui de adoptione & gratia Dei nos certo reddit. Insuper etiam modum exprimit quo beneficia illa nobis applicantur, nimirum per fidem, fide enim Christum, ita pro nobis in crucem actum, & in oculis Dei execrabilem intuemur, in hoc acquiescimus, & hunc nobis appropriamus, ut per fidem benedictio & promissio Spiritus ad nos pertineat.

*Fratres secundum hominem dico, &c.*

Quartum argumentum à comparatis, quod docet, promissionem Abrahæ factam esse firmam ac constantem, quam ab ullo homine mutari nefas sit, cui nec aliquid superordinetur atque addatur per legem, hunc in modum: [Si hominis pactio confirmata solenniter ita firma est, ut nemini liceat eam rejicere, vel immutare, vel illi aliquid superaddere,] sine ejus, qui sancivit illam, quorumve interest, voluntate: Multò magis Dei pactio & promissio Abrahamo facta erit firma & immo-

ra, ut nemini mortalium illam liceat ulla ra-  
 tione infringere, mutare, rejicere, vel eam ex  
 lege supplere, ut imperfectam. Primum au-  
 tem ad captandam benevolentiam, Galatas  
 fratres amicè appellat, ut de quibus adhuc  
 bene sperabat. Deinde addit *secundum homi-  
 nem dico*, id est, humano more loquor, & ex-  
 emplo vulgari atq; è media hominum con-  
 suetudine petito utor. Utitur autem Apo-  
 stolus hâc præfatione in eum finem, ut Ga-  
 latas pudore suffundat, qui majore loco &  
 autoritate habeant hominum pactiones,  
 quàm Dei. Quid ergo est, quod humano  
 more ipsis loquitur? *Hominis licet pactio-  
 nes confirmatam* (cum autoritate) *nemo irri-  
 tam facit, aut superaddit* (aliquid) *Abrahe  
 verò dictæ sunt promissiones & semini ejus. Non  
 dicit, & seminibus, tanquam de multis, sed tan-  
 quam de uno & semini tuo, qui est Christus,*  
 quasi dicat Apostolus, nemo audeat hominis  
 dispositionem, ordinationem & institutio-  
 nem cum autoritate sancitam & confirma-  
 tam abrogare, vel illi aliquid detrahere, aut  
 superaddere citra voluntatem disponentis,  
 vel omnium, quorum interest. Multò autem  
 minus dispositionem & promissiones, quas  
 Deus Abrahamo fecit, & semini ejus, licet  
 ulli irritas facere, vel eis aliquid superadde-  
 re, & supplere illas, ut imperfectas ex lege.  
 Quia verò hic locus aliquid difficultatis ha-

bet, paulò accuratius examinādus erit. Quid dicitur enim, de quibus loquatur promissionibus? Quid per semen intelligat; Et quomodo promissiones illas ad institutum suum commodet Apostolus? Cùm autem mentionem faciat promissionum, numero multitudinis; Intelligimus, eum respicere ad omnes illas promissiones, quibus disposuit & promisit Deus Abrahæ & semini ejus benedictiones, ut quòd *Gen. 12.* ei dixit: In te benedicentur omnes gentes terræ, & *seq. cap. 17. v. 15.* Omnem terram, quam tu vides, dabo, & semini tuo usq; in seculum, & *17. v. 20.* Deus tuus & seminis tui post te. Item, quòd in *uni. Patrem multitudinis constituit. Item 22. cap. v. 17.* In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ, &c. Ad has igitur omnes digitum tendit Apostolus. Sunt autē inter illas quædam, quæ solum illud semen Abrahæ Christum in singulari & individuo respiciunt, ut qui ipse est semen benedictum, & Judæis & gentibus benedictionis autor. Sic enim vocem *seminis* de singulari & individuo aliquo usurpari in scripturis notum est, ut *Genes. 3. v. 15.* Semen mulieris conteret caput serpentis, & *4. ait Adam, cùm ipsi Seth nasceretur: Posuit mihi Deus semen alterum, pro Hebel, quem occidit Cain.* Ita cum certū sit, Abrahamum non sine semine ex Sara nato obisse, manifestum est, Isaacum illud semen esse.

in Christo igitur, semine Abrahamæ unico &  
 ingulari, benedicentur omnes gentes terre,  
 sine circumcissione & operibus legis. Deinde  
 etiam hæc promissio: omnem terram hanc  
 dabo semini tuo in seculum, in Christo o-  
 mniū accuratissimè adimpleta est. Et si enim  
 tum infideles, secundum carnem tantum fi-  
 lii Abrahamæ, tum fideles etiam ex sanguine e-  
 jus prognati, terram Canaan possederunt,  
 tamen illi (infideles) iniqui ejus possessores  
 fuerunt, & tandem prorsus ex illa exturbati  
 sunt: Hi morte tandem ex illa erepti sunt.  
 Christo autem, quem Pater constituit hære-  
 dem universorum, data est in seculum, cui o-  
 mnia dedit in manus Pater. Unde etiam ter-  
 ra Emanuelis dicitur, *Esa. 8.* Et cum terra illa  
 Canaan sit typus cœlestis, & æternū manen-  
 tis civitatis, per Christum omne semen A-  
 brahæ secundum promissionem & fidem  
 hanc (*αὐτῷ τῷ πῶν* scilicet) hæreditare consequi-  
 tur. Deinde sunt quædam promissiones, quæ  
 semen Abrahamæ spirituale concernunt, quod  
 in solo Christo ex Judæis & gentibus colli-  
 gitur, & in unū corpus sub uno capite Chri-  
 sto per fidem coagmentatur: ut quod Pater  
*multarum gentium dicitur. Quod omnes gen-  
 tes in ipsius semine, Christo, benedicentur.* Ubi  
 omnes gētes, unius benedictionis per Chri-  
 stum participes factæ, sunt semen Abrahamæ,  
 & unum corpus. Item: *Ego ero Deus tuus &*

*seminis tui post te.* Quod enim hæc promissio non tantum Judæos attingat, sed etiam ceteras gentes, Petrus testatur *Actor. 2.* ubi ait: Vobis est facta promissio, & filiis vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster. Itaque vocem *seminis* collectivè accipitur. Omnes itaque promissiones illas complectitur Apostolus, & ad institutum suum refert. Primum enim ex Dei dispositione & promissione, vobis evincit, in unico Christo semine benedicto constare hominibus benedictionem. Atque ita vox *seminis* multitudinem seminum non excludit: Consequenter etiam promissiones illæ, quibus vox *seminis* collectivè accipitur, instituto Apostoli inserviunt. Quandoque opus scilicet Dominus promittit, se Deum Abrahami, quæ hæc & semini ejus fore, ipsum fore Patrem multarum gentium. Demonstrat enim Apostolus ex scriptura, semen illud Abraham ex quo Judæis & gentibus, in uno Christo, sine circumcissione & operibus legis, colligi & aggregari, & omne illud semen fide in Christum coalescere in unum corpus. Sicut infra affirmat: *Omnes filii Dei estis eo, quod creditis Jesu Christo.* Omnes unus estis in Christo Jesu. Quod si vos estis Christi, igitur semen Abrahamæ estis, & juxta promissionem hæredes, & huic semini etiam illa promissio de possessione terræ Canaan, *Genes. 13. & 15.* congruit.

non quoad ipsam terram Canaan, sed ratione antitypi, id est, veræ terræ promissæ, cœlestis nimirum civitatis, cujus per Christum hæredes efficiuntur. Et hoc sensu vox *seminis* collectivè sumpta, excludit semina, in numero multitudinis. Si enim promissio veræ & spiritualis benedictionis, id est, Justitiæ & vitæ æternæ, à quibusdam obtineretur per circumcisionem, & opera legis, à quibusdã per fidem, vel saltem per fidem & opera simul, tum necessariò Dominus usurus fuisset multitudinis numero, & disjunctionem fecisset seminum, quæ cœlesti hæreditati participarent, hoc modo: Et seminibus tuis ero Deus, nempe tum illi, quod per circumcisionem & opera benedictionem consequetur, tum illi, quod ex fide eam obtinebit. Neq; verò huic sententiæ obstat, quod Apostolus ait, sed tanquam *de uno semine tuo, qui est Christus*, cum constet, Christum appellari, vel ratione suæ personæ, vel ratione eâ, qua cum suis membris constituit corpus mysticum: Unde gentes concorporales dicuntur promissionis in Christo, *Ephes. 3.* Huic igitur dispositioni, ac promissionibus Abrahamæ factis, legem nihil superordinare, tanquam imperfectis, multò minus illas abrogare, infert Apostolus hisce verbis. [Hoc autè dico, pactio- nem ( *dispositionem* ) antè confirmatã à Deo in Christũ, lex quæ post annos quadringen-

tos & triginta data est, non facit irritam  
 evacuet (aboleat) promissionem. Est hæc  
*πρόδοσις* vel consequens argumenti à comparatione  
 ratis, nempe dispositionem illam Dei, jam  
 antea Abrahæ & semini ejus confirmatam,  
 non per legem postea datam aboleri, vel illi  
 aliquid per legem superaddi. Quod autem  
 Apostolus dicit, *dispositionē, quam Deus cum*  
*Abrahamo fecerit, ante confirmatam in Christo*  
*sum*: eo indicat, Christum esse fundamentum  
 & autorem benedictionis. Deinde, quòd le-  
 gem datam ait quadringentos triginta an-  
 nos post promissionem, sicut etiam *Exodus*  
 habitationem filiorum Israël in Ægypto qua-  
 dringentorum triginta annorum fuisse legi-  
 mus, numerandi sunt anni illi ab illo tempo-  
 re, quo Abraham habitavit in Haran, ubi et-  
 iam promissionem accepit primum: In te  
 benedicentur omnes gentes terre. Addit au-  
 tem Apostolus rationē consequentiæ, sum-  
 ptam ex oppositione legis, & promissionis  
 in conferenda hæreditate. Nam si, inquit, ex  
 lege est hæreditas, non jam est ex promissio-  
 ne. Atqui Abrahæ per promissionē gratis de-  
 dit Deus (scilicet benedictionem & hæredi-  
 tatem) quasi dicat Apostolus, verè lex abole-  
 ret promissionem, vel aliquid superordina-  
 ret illi, si ex lege ejusq; operibus proveniret  
 hæreditas vitæ æternæ. Abrahamo enim gra-  
 tis per promissionē fide apprehensam Deus  
 dedit

dedit hæreditatem. Hæc dispositio & ordinatio Dei, facta cum Abrahamo, per legem irrita fieret, vel, si & ex fide promissionē apprehendente, & ex lege esset hæreditas simul, tum lex aliquid divinæ dispositioni, antè cōfirmatæ in Christum, aliquid superordinaret, quod ne in humanis quidem dispositionibus solenniter confirmatis usu venire solet.

## LOCI COMMUNES

### 2. Partis, Cap. 3.

I. De discrimine legis & Evangelii, quod per prædicationem Evangelii confertur Sp. sanctus, quem lex non confert. Etsi enim hic Apostolus loquitur de donis Sp. S. miraculosis, tamen discrimen illud constat. Hinc lex ministerium mortis, Evangelium ministerium Spiritus dicitur 2. Cor. 3. Ita Paulus, Ephesios, ait, audito verbo veritatis, Evangelio salutis, obsignatos Spiritu promissionis sancto.

II. Et hinc etiam *veritas* certitudinis doctrinæ Evangelii petitur, quod illa donis miraculorum confirmata est, sicut *Marc. 16.* legimus: Dominum confirmasse sermonem Apostolorum signis subsequentibus, & ad *Hebr. 2.* Apostolus ait: Quæ salus, cum primum enarrari cœperit per ipsum Dominum ab his, qui audiverunt, in nos cōfirmata fuit, attestante Deo & signis & prodigiis simul, variisq;

variisq; virtutibus & Spiritus S. distributio-  
nibus, juxta ipsius voluntatem.

III. Non satis est benè cœpisse in fide,  
sed usque ad finem in fide perseverandum.  
Qui enim ad finem perseveraverit, salvus e-  
rit, *Math. 24.* Aliàs, si quis à fide deficiat,  
frustra credidit, & quæcunq; ob fidem per-  
pessus est adversa, frustra passus est. Si enim  
justus se averterit à Justitia sua, & fecerit ini-  
quitate, morietur propter illam, & omnes  
Justitiæ ejus non memorabuntur, *Ezech. 28.*  
Orandus est igitur Deus, ut, quod cepit  
nobis opus bonum, etiam perficiat usque ad  
diem Jesu Christi, *Philip. 1.* ut virtute Deici-  
stodiamur per fidem ad salutem, *1. Pet. 1.*

IV. De imputatione fidei ad Justitiã. Non  
autem fides ipsa per se tantæ dignitatis est, ut  
nobis ad Justitiã imputetur, vel ut propter  
illam in Judicio Dei à sententia damnatio-  
nis absolvamur, sed propter Christũ, quem  
apprehendit, & in quo acquiescit, cujus so-  
lius obedientia justus constituimur, ad *Rom. 5.*  
Quemadmodum annulus quidam æstima-  
tur precio 100. coronatorum, non propter  
ipsum, sed propter gemmam, quam inclu-  
dit: Ita Christi obedientia fide apprehensa,  
nobis imputatur ad Justitiã. Contendunt  
hodie Pontificii, fidem imputari ad Justitiã,  
quia conferat nobis χάρις, quæ Justitiæ inhæ-  
rentis, propter quam justus sumus, vel novam obe-

obedientiam Abrahamæ, ex fide profectam, illi imputari ad Justitiam. Notandum autem est, quod Apostolus, cum *Rom. 4.* tractat exemplum Abrahami, expressè affirmat, operanti merces imputatur secundum debitum, non secundum gratiam, & quidem adducit Abrahami exemplum, cum jam gratiâ Dei multa bona opera edidisset. Porro fundamentum imputationis Justitiæ non est in nobis, sed potius contrarium fundamentum damnationis in nobis est, nimirum habitans in nobis peccatum, quod non imputandum nobis est, sed regendum. Est autem efficiens causa imputationis Justitiæ Deus, ejusq; gratia. Ille enim ex gratia imputat nobis Justitiam, non autem sine fundamento Justitiæ nos justos reputat, sed Justitia & obedientia Christi fundamentum imputationis est. Hanc fide apprehensam nobis imputat Deus ad beatitudinem. Fit enim in hac imputatione Justitiæ salutaris permutatio, quando Christo per se sancto & impolluto imputantur nostra peccata, quæ fecit Dominus concurrere in illum, unde cum iniquis reputatus dicitur, *Esa. 53. Marc. 15.* Et factus pro nobis peccatum, *2. Cor. 5.* Contra autem Christi obedientia & satisfactio nobis imputatur ad Justitiam, non simpliciter, quatenus est extra nos, sed quatenus fide apprehenditur. Hæc Justitia Christi solidum imputationis funda-

fundamentum est, ut quâ legi plenè satisfactum est.

V. Abraham exemplum universale est omnium justificandorum, unde Pater multarum gentium dicitur. Quemadmodum enim ipse justificatus est, ita nos omnes justificari & salvari necesse est. Una enim via & ratio salutis est. Unde Petrus *Act. 15.* decernit: Credimus nos salvari per gratiâ Domini nostri Jesu Christi, quemadmodum & illi (scilicet Patres Veteris Testamenti.) Et Paulus *Rom. 4.* cum exemplum Abraham in medium adduxisset, sic tandem illud transfert ad thesaurum. Non scriptum autem est propter illum tantum, imputatum esse illi, sed etiam propter nos, quibus imputabitur, credentibus in eum, qui excitavit Jesum Dominum nostrum ex mortuis, &c.

VI. De Christo semine Abraham benedicto, in quo omnes gentes terræ benedicuntur: Deus enim in Christo benedixit nobis omni benedictione spirituali in cælestibus. Quomodo autem Christus benedictionem nobis acquisiverit, hic docet Apostolus, dum pro nobis factus est maledictum. Ita enim nos à maledictione legis, morte & damnatione æterna liberavit, & nobis factus est Sapientia, Justitia, Sanctificatio & Redemptio, *1. Cor. 1.*

VII. Cùm Dominus prædixit Abraham:

In

In te benedicentur omnes gentes terræ, docet Messiam semen Abrahamæ, non tantum Judæorum, sed etiam gentium Salvatorem esse. Et si enim salus est ex Judæis, id est, Christo ex Judæorum gente orto: tamen beneficia ejus, non tantum Judæos, sed universas terre gentes attingunt: sicut hic ex promissione Abrahamæ facta Paulus, Deum justificare gentes ex fide, affirmat. Hinc expectatio gentium, *Gen. 49.* & desiderium gentium, *Hagg. 2.* dicitur.

**II X.** Quandoquidem Christus est semen illud benedictum, in quo omnes gentes terræ benedicuntur, per quem maledictio à nobis sublata, & æterna redemptio parata est, necesse est, illum non nudum esse hominem, sed verum etiam Deum. Bona enim per peccatum amissa, & mala, quibus propter peccatum immergi eramus, utraq; tanta erant, ut nudus homo, licet sanctus, illa nobis recuperare, & ex his nos liberare non posset. Bona amissa erant gratia Dei, vera Justitia, sapientia, sanctitas, æternæ vitæ hæreditas. Quomodo verò nudus homo omni hominum generi illa acquireret? Mala, in quæ incideramus, erant ira & indignatio Dei æterna, quæ est pondus importabile, tenebræ, omnis generis mala, maledictio, mors temporalis & æterna damnatio, tyrannis Satanæ, sub qua eramus captivi, &c. Neq; ex his nos nudus

nudus homo eximere poterat. Infiniti pretii  
 dus precii & ἀνάλυτον pro peccatis nostris  
 & infinita potentia requirebatur. Unde manifesta  
 nifesta est causa, cur Mediatorem & Redemptorem  
 ptorem nostrum oportuerit esse *θεῶν υἱόν*.  
 Hinc est, quod scriptura dicit: Deum Filium  
 suum unigenitum pro nobis tradidisse,  
 3. Dominum gloriae crucifixum, *1. Cor. 2. Deum*,  
 sanguine Ecclesiam redemptam, *Act. 20. Nos* & sal  
 cum essemus inimici, reconciliatos Deo per  
 mortem Filii ejus, *Rom. 5.*

IX. Fidem esse unicum illud instrumen-  
 tum & medium in nobis, quo Christus cum  
 omnibus suis beneficiis, & vera benedictio-  
 ne apprehenditur, & nobis applicatur, docet  
 Apostolus, cum ait: *Qui ex fide sunt, benedi-*  
*cuntur cum fidei Abraham.* Unde Deus affir-  
 mar: *Qui credit in me, habet vitam eternam.*  
 Hinc fides salvare, & ad Justitiam imputari,  
 & justus ex fide vivere dicitur.

X. Lex ut perfecta est, ita ab omnibus ho-  
 minibus plenam & perfectam requirit obe-  
 dientiam, & transgressoribus, qui ab illa vel  
 in pluribus, vel uno saltem capite declinant,  
 maledictionem denunciat, testante id Apo-  
 stolo: *Maledictus omnis, qui non manserit in*  
*omnibus, quae scripta sunt in libro legis, ut faciat*  
*ea,* & Jacobo: *Qui reus est in uno, in omnibus*  
*reus est, 2. cap. Jacob.* Cum verò omnes homi-  
 nes declinaverint, & inutiles facti sint, *Pf. 14.*  
 &

& omnes egeant gloria Dei, omniq; homini  
 os obstructum sit, *Roman. 3.* sequitur omnem  
 hominem ex legis sententia maledictum, &  
 iræ filium, *Ephes. 2.* Unde Apostolus *Rom. 7.*  
 affirmat: Lex spiritualis, ego autem carnalis,  
 venundatus sub peccatum. Et hinc etiã ma-  
 nifesta evadit causa, cur, qui ex operibus le-  
 gis sunt, hoc est, qui in operibus legis Justi-  
 tiam & salutem quærunt, maledictioni ob-  
 noxii dicantur ab Apostolo. Quia enim legi  
 nemo plenam, & numeris omnibus absolu-  
 tam præstat obedientiam, idè, quotquot  
 non ex fide, sed ex operibus legis justificari  
 volunt, fulmen potius maledictionis persen-  
 scere coguntur.

XI. Legem & Evangelium non debere  
 confundi docet Apostolus, cum afferit: *Fu-*  
*it ex fide vivit, lex autem non est ex fide, sed*  
*qui fecerit ea homo; vivet in eis.* Lex enim re-  
 quirat plenam & perfectam obedientiam, &  
 hominibus præstantibus eam demum vitam  
 promittit. Non facientes omnia ejus verba  
 damnat; Evangelium verò credentibus in  
 Christum gratis promittit vitam æternam.  
 Hinc lex ministerium mortis, *2. Cor. 3.* Evan-  
 gelium autem potentia Dei ad salutem omni  
 credenti, *Rom. 1.* dicitur.

XII. Ex his verbis etiam: *Lex non est ex*  
*fide, discimus, fidem non justificare, quate-*  
*nus est opus legis.* Expresse enim affirmat

Apostolus: Legem nō esse ex fide justificandam, id est, legem non promittere vitam eternam credenti: Cujus rei hæc ratio est, quod fides, ut est opus legis, tantum primi præcepti est opus, & quidem imperfectum. Justificatur igitur, quatenus Christum in Evangelio nobis propositum apprehendit & inclinat, qui est perfectio legis ad salutem omnium credenti, *Rom. 10.* Sicut mox Apostolus hic statuit, Christum pro nobis factum maledictum, ut nos à maledictione legis redimeret.

XIII. Inclinator admirandæ misericordie Christi notanda est, qua ille pro nobis factus dicitur maledictum. Cùm enim Deus ipsum conjecerit omnium nostrum iniquitates, ut propter hanc imputationem peccatorum nostrorum dicatur peccatum, 2. *Cor. 5.* eo ipso etiã legis maledictionem in se pro nobis recepit, & maledictum factus est. Acron sane gravissima est illa vox legis: *Maledictus* *omnis, qui pendet in ligno.* Quandoquidem enim varia suppliciorum genera in facinorosos lex Dei statuit, de nullo tamè tam horrendam sententiam pronunciavit, quàm de illo, quod ipse Redemptor noster Filius Dei subiit, nimirum de supplicio suspensionis in ligno. Cùm enim omnes idololatriæ, blasphemix, & quæcunq; ab hominum generibus atrocissima scelera patrari possunt, in ipsum conjecta sint, verè etiam maledictum est.

cundum

cundum legem. Neq; illa res nobis fastidio sit, quia in eo ratio salutis nostræ posita est. Idè enim pro nobis factus est maledictum, ut nos à maledicto legis redimeret. Inde demum *benedictio Abrahæ per Christum Jesum venit in gentes, ut promissionem Spiritus acciperemus per fidem*, qui Spiritus est Arrhabo salutis & hæreditatis nostræ, pignus gratiæ, qui testimonium perhibet spiritui nostro, quòd simus filii Dei, per quem *cum jam, maledictione ablatâ benedictio nobis restituta sit, cum fiducia in precibus nostris ad Deum accedimus, clamantes, Abba Pater*. Hanc consolationem omnem nobis Pontificii non boni consolatores adimunt, & fundamentum salutis nostræ everrunt, cum scribere ex illis non dubitant quidam, blasphemiam esse, Christum ob imputationem peccatorum nostrorum peccatum dicere, & maledictum, contradicentes scripturæ, quæ etsi testatur, Christum per se prorsus *ἀναμάρτηλον*, tamen nostra peccata ipsum bajulasse, nostras iniquitates in ipsum conjectas, & maledictionem factum esse affirmant.

XIV. Inde etiam intelligimus, quanta sit peccati fœditas in oculis Dei, quòd illud expiari non potuerit, nisi filius Dei, carne nostra indutus, in oculis Patris sui maledictum fieret. Quæ consideratio faciat, ut illud detestemur & crucifigamus, ne regnet in mortali nostro corpore, *Rom. 6.* I 2 15.

XV. Ex verbis Apostoli, *hominis licet dispositionem confirmatam nemo irritam faciat, superaddit*, concludamus contra eos, qui dispositionem divinam cœnæ Dominicæ irritam faciunt & immutant, ausu temerario.

Ex his sunt Pontificii, qui non uno modo ordinationem illam Christi immutant. Primum enim ex Sacramento, quo Christus simpliciter ordinavit, ut, distributo pane & vino benedicto, edendo & bibendo sumeretur corpus & sanguis Christi, efficiunt Sacrificium, quo corpus Domini modo in cruce offeratur & sacrificetur Deo Patri, illud dicunt propiciatorium esse, pro peccatis viventium & mortuorum. Atq; ita cœnâ mutant, contra verba dispositionis Christi, in actionem toto genere diversam, ut jam non dicam, contumeliosam in unicum propiciatorium Sacrificium Christi, in ara crucis peractum, ubi unica oblatione perficitur æternum sanctificandos, *Hebr. 10.* Deinde, cum panem illum in pyxide inclusum vel circumgestatum adorant, & horrendam idololatriam committunt. Tertio, cum ajunt, panem transubstantiari in corpus Christi, quæ transubstantiatio, cum alteram partem, elementum scilicet, cœnæ Domini tollat; non sinit illam esse Sacramentum. His accedit, quod alteram partem laicis ademit Concilium Constantiense; addita hac voce in Christum contumeliosam

meliosa: Sancta Synodus decrevit, quòd, licet Christus discipulis suis administravit sub utraq; specie venerabile hoc Sacramentum: tamen, hoc non obstante, posthàc à cõficientibus sub utraq;, & à laicis tantummodo sub specie panis suscipi debet, &c.

Ex eodem fundamento etiam redarguendi sunt Sacramentarii, qui ad negandam præsentiam corporis & sanguinis Christi in facta cœnæ mysterio, verba Christi: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Accipite, bibite, hoc est sanguis meus Novi Testamenti*, faciunt tropica, ut verba, *accipite & bibite*, si corpus & sanguinem Christi respicias, significant idem, quod credite, verbum, *est*, idem quod significat, vel vox corpus idem, quod signum absentis corporis, verba, *quod pro vobis traditur*, idem quod, quatenus pro vobis traditur: vel verba, *hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus*, à verbis, *manducate & bibite*, distrahunt. Nos verò, qui verba Christi, ut verba dispositionis & definitionis, simplici fide & assensione, uti sonant, accipienda dicimus, rectè contra illos omnes concludimus: *Homini licet dispositionem confirmatam nemo rejicit, aut superaddit*: Ergo nefas nobis fit, Christi institutionem & dispositionem, proprio ausu, immutare aut pervertere.

XVI. Doctrina de Justificatione operum absurdè facit plura semina Abrahamæ, contra

scripturam, quæ tantum de uno semine  
 abrahæ loquitur, quod benedictionis cum  
 abrahamo fideli particeps fit, per fidem in Chri-  
 stum benedictum Abrahæ semen, sicut hoc  
 textu, & sub finem *cap. 3.* Apostolus docet. Si  
 autem est semen aliud, quod cum Abrahamo  
 particeps fit benedictionis promissæ, ex me-  
 rito operum, tum multitudo seminum con-  
 tra scripturam introducitur.

XVII. Doctrinâ ab Apostolo traditam  
 Justificatione fidei confutantur solidè Pon-  
 tificii, qui Justificationem tribuunt, non fi-  
 dei tantum, sed etiam operibus secundum  
 legem factis. Abrahamus accepit benedictio-  
 nem per fidem, sine operibus: Ergo & nos.  
 Promissio benedictionis Abrahæ facta gra-  
 tuitò, sicut Apostolus hîc testatur, sine me-  
 rito operum, non aboletur per legem; Ergo  
 nec per opera legis nunc aboletur. Si autem  
 esset Justificatio non ex fide, sed ex operibus,  
 tum per legem aboleretur promissio. Rur-  
 sus etiam, si ex fide & operibus simul con-  
 tingeret benedictio & salus hominibus, tum  
 aliquid per legem promissioni gratiæ su-  
 peradderetur, contra assertionem Apostoli-  
 cam. Proinde hanc doctrinam Pontificiam  
 ut falsam rejiciamus, & eam, quæ est Evange-  
 lii propria, de gratuita Justificatione fidei u-  
 traq; manu teneamus.

## III. PARS CAP. III.

*Quid igitur lex? transgressionum, &c.*

Dixerat Apostolus, legem quadringentos  
 igitur annos, post promissionem datam,  
 non facere irritam promissionem, neq; illi  
 aliquid superaddere, atq; adeò legi justifican-  
 di, & conferendæ hæreditatis laudem detra-  
 herat. Inde igitur quæri poterat: *Quid igitur*  
*lex? scilicet confert, vel cur lex data fuit? Ad*  
 quam quæstionem respondet Apostolus:  
*transgressionũ causa addita fuit, donec veniret*  
*Chriſtus, cui promiſſum fuerat.* Quibus verbis A-  
 postolus usum legis ostendit, qui est, nõ tan-  
 tum transgressiones hominum cohibere, &  
 homines quasi freno coërcere, ne in externa  
 delicta ruant, sed etiam transgressiones re-  
 velare & manifestare, ut homines agnitis  
 malis alibi remediũ quærant in Christo, quem  
 ostendit Evangelium. Qua ratione etiam  
 Pædagogus in Christum postea dicitur. Ne-  
 que verò hunc usum tantum præstat lex mo-  
 ralis, sed etiam ceremonialis. Ne enim po-  
 pulus ad idololatriam pronus, & duræ cervi-  
 cis, suopte ingenio cultus fingeret, Domi-  
 nus illum statutis certis sacrificiorum & ce-  
 remoniarum aliarum intra limites contine-  
 re voluit. Quin etiam varia illa sacrificia &  
 expiationes, frequentesq; earum repetitio-  
 nes, admonebant populum suæ pravitatis, &  
 quotidianarum transgressionum. At quia

ceremoniæ istæ typi erant Christi, etiam ratione Pædagogi erant ad Christum. Per hæc itaque ut populus hic, quoad externam Politiam, discerneret ab aliis gentibus, Dominus illi certas leges Politicas dedit, quæ eius finem in reprimendis flagitiis usum habebant, ut ita tota lex imposita fuerit populo, *ut veniret semen, cui promissum fuerat.* Per hæc intelligit Apostolus, non Christum per tantum, sed cum suo cõplemento, seu membris & toto corpore, quod est Ecclesia, ad *phes. 1. & 4.* constans ex Judæis & gentibus. Hoc totum enim semen Abrahæ concernebat promissio illa: *In te benedicentur omnes gentes terra.*

Sententia igitur Pauli est, legem impositam genti Judaicæ, donec diruta macerie, Judæis & gentibus unum corpus coalesceret, donec gentes etiam fierent cohæredes, concorporales, & cõsortes promissionis in Christo per Evangelium. Porro hæc ad propositam quæstionem responsio etiam argumentum præbet instituto Apostoli accommodum: si legis usus est, transgressiones manifestare & arguere, & propter illas hominem agere: Ergo non potest illum justificare. Addit autem Paulus: *Ordinata per angelos in manu Mediatoris:* Indicat Deum, in promulgatione legis, ministerio angelorum usum esse, sicut idipsum etiam Stephanus testatur

statum *Act. 7.* cum ait: *Accepistis legem in dispositione angelorum, & Epistola Hebr. 2.* sermo legis per angelos dictus est. Sine dubio enim clangor ille buccinae per angelos excitatus est, *Exod. 19.* & praeterea, per angelorum ministerium Dominus legis tabulas in manus Moysi tradidit. Hunc Moysen intelligit Apostolus, cum affirmat: *Legem per angelos latam seu ordinatam in manu, id est, per ministerium, Mediatoris.* Mose enim quasi Mediatore & internuncio usus est Deus, in promulgatione legis. Non autem vox Mediatoris hinc Moysi ita tribuitur, ut Christo, qui unus est Mediator Dei & hominum, *1. Timoth. 2.* ad reconciliationem generis humani cum Deo, peccatis offenso. Moses autem tantum fuit intermedius & internuncius, inter Deum & populum Judaicum, sicut subicit Paulus: *Mediator autem unus non est.* Fuit nempe Mediator inter duos, Deum & Israëlitas. Etsi enim hi (Israëlitæ) Deum, decem verba magnâ majestate loquentem, audierunt, tamen cum populus vocem Dei sustinere non posset, & peteret, ut non Deus, sed Moses ipsi loqueretur, Moses ille stetit inter Deum & Israëlitas, ut illis reliqua praecepta, Judicia, & statuta Jehovæ renunciaret, *Deut. 5.* Sicut is ipse Moses tabulas testimonii, in sua manu, è monte ad populum detulit, *Exod. 32.* Ita autem Apostolus, alludens ad

historiam promulgatæ legis, nō obscure h  
 subinnuere vult: Legem usq; adeò homin  
 cum Deo conciliare & justificare nō potu  
 se, ut potius ostenderit, illos ob peccatum a  
 Deo alienatos. Quandoquidem Deus, in  
 jus promulgatione, ita populo terribilis fue  
 rit, ut ejus vocem ferre nequiverit, & per Me  
 diatorem secum agi petierit; quin visum ita  
 erat terribile, ut ipse Moses (qui Mediator  
 rem agebat) diceret, *ex paves factus sum & trem  
 ebundus, Hebr. 12.* Quæ res argumento est  
 legem vim justificandi & vivificandi habere  
 minimè. Quorsum verò hoc, quod sequitur  
 apud Apostolum? *Deus autem unus est.* Aliud  
 non vult, quàm unum & eundem esse Deum,  
 qui semper sibi constet, qui & promissionem  
 dederat Abrahæ, & nunc legem Israëlitis per  
 Moysen, longo tempore post. Qui promulga  
 tione legis nequaquam irritam fecerit pro  
 missionem, aut ei aliquid superordinaverit,  
 ut verbis illis, rursus mirâ brevitate argu  
 mentum, suo instituto conveniens, compre  
 hendat; legem non abolere promissionem,  
 neq; ejus opera adjumentum adferre ad cō  
 sequendam hæreditatē, quâ ratione lex pro  
 missionis supplementum & appendix esset.  
 Hinc alteram objectionem subjicit Apосто  
 lus: *Lex igitur num adversus promissiones Dei?*  
 Quasi dicat, si promissio cōfert benedictio  
 nem, lex autem maledicit, num lex est adver  
 sus

sus promissiones Dei? Respondet Apосто-  
 lus: *Absit; si enim data fuisset lex, qua posset vi-  
 vificare, verè ex lege esset Justitia.* Inversionis  
 sententiam habet responsio, quasi dicat Pau-  
 lus, tum demum lex esset adversus promissio-  
 nem, si vivificare posset. Ita enim promissio-  
 nem faceret irritam; At verò Deus unus  
 est, qui sibi semper constat, cujus decretum &  
 dispositio, quæ est, gratis ex fide Christi justi-  
 ficare credentes, est *ἀμεταμέλητος*. Quod au-  
 tem lex vivificare non potest, ideò fit, quia il-  
 la est spiritualis, homo autem carnalis, ve-  
 nundatus sub peccatum, quia infirmatur per  
 carnem, *Rom. 8.* Qua de causa è morte pecca-  
 torem liberare, peccatum abolere, iram Dei  
 placare, veram Justitiam, reconciliationem  
 cum Deo, & vitam æternam conferre, usque  
 adeò non potest, ut potius hominem accu-  
 set ob transgressiones, terreat, & obnoxium  
 esse maledictioni convincat: Ideò ex lege  
 Justitia non est. *At quis est ejus usus?* Respon-  
 det Paulus, *sed conclusit scriptura omnia sub  
 peccatum, ut promissio ex fide Jesu Christi dare-  
 tur credentibus.* Quibus verbis docet, legem  
 non esse adversus promissiones Dei, quin  
 utramq; doctrinam, in suo usu, simul optimè  
 stare posse: & quod amplius est, legem ho-  
 mines, ad cupidius amplexandam promissio-  
 nem gratiæ, quasi præparare: Scriptura,  
*inquit Paulus*, conclusit omnia sub pecca-  
 tum,

tum, id est, doctrina legis (de ea enim loquitur) omnes homines, & quæcunque in ipso sunt, & ab ipsis fieri possunt ex naturalibus viribus, peccati convincit, & reddit illos obnoxios Deo, nullo, præter Christum, excepto atq; ita argumento est, nullum hominem operibus legis justificari. Hunc autem ulam præstat interim, ut hominem manifestat ne peccati, & comminatione iræ Dei æternæq; damnationis, quodammodo præparat ad quærendam salutem alibi, nimirum in promissione gratiæ: quod vult Apostolus, cum adjicit: *ut promissio*, id est, vita & salus promissa, daretur ex fide Jesu Christi credentibus, qui factus est sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptione jus filiorum Dei acciperemus, *Galat. 4.* Quod dicit, promissionem, id est, promissam vitam dari ex fide Jesu Christi credentibus, indicat Christum suam obedientiam veram Justitiam & salutem acquisivisse, & absq; merito operum fide in Christum hæc bona apprehendi.

*Antequam autem venisset fides, sub lege custodiëbamur, conclusi in eam fidem, quæ erat revelanda.*

Docet Paulus, quis usus legis fuerit in populo Judaico, ante adventum Filii Dei in carnem: nempe populum illum, quasi quibusdam vinculis & præsiidiis cohibere, ne pro sua libidine flagitiis se immergeret, & quasi

sub Pædagogia adducere ad Christum usque  
 incarnatum. Loquitur hîc de totâ lege: Per  
*fidem venturam & revelandam* intelligit Ev-  
 angelium de Dei Filio in carne manifestato:  
 Ubi jam lex cum suis ceremoniis, involu-  
 cris, & typis exspiravit, & Christus sine invo-  
 lucris legis clarè prædicatur & agnoscitur, in  
 quo credentibus constat libertas à morte æ-  
 terna, & jugo ceremoniarum legis. De hoc  
 usu subjicit Apostolus: *Itaq; lex Pædagogus*  
*noster fuit ad Christum, ut ex fide justificare-*  
*mur.* Tota lex hunc usum habuit, ut populū  
 Judaicum, tanquam puerum, ante adventum  
 Christi in carnem, quasi Pæagogiâ qua-  
 dam ad Christi incarnationem usq; coërce-  
 ret. Lex autem moralis arguens peccata, &  
 maledictionis reum agens hominē, impellit  
 eum, ut alibi quærat Justitiam & salutem,  
 nempe in Christo, quem ostendit Evange-  
 lium, quòd omnis, qui credit in eum, non  
 pereat, sed habeat vitam æternam. Lex cere-  
 monialis, variis sacrificiis pro peccato & ex-  
 piationibus, convincit esse hominem pec-  
 cato pollutum, & mactatione sacrificiorum,  
 & effusione sanguinis adumbrat unicū Chri-  
 sti sacrificium, ejusq; sanguinis effusionem,  
 & ita etiam est Pædagogus in Christum, in  
 cujus fide constat nobis vera Justitia & salus,  
 & hunc usum habuit lex ante incarnationē  
 Filii Dei. *At postquam venit fides* (id est, post-  
 quam

quam Evangelium de Christo incarnato publice prædicatum est, ) non jam sub Pædagogum sumus, hoc est, per Christum à maledictione legis, à iugo ceremoniarum legis, ab elementis mundi liberati sumus, & nunc, tanquam adulti, Christum apertâ facie intuemur. Valde autem Apostolus Galatas, ad legem relapsos ad absurdum adigere, quod perinde faciunt ac si quis aliquem adultum, qui perfectionem aliquâ eruditionis acquisivit, & ab elementis primis & virga quasi liberatus est, denu- ad Pædagogum, vel ad prima elementa remittere, ac ferulæ subicere velit.

### LOCI COMMUNES PARTIS

#### III. Cap. III.

I. De usu legis, quod lex propter transgressiones data dicitur.

Primum, ut coërceat homines, ne in eterna scelera ruant, neq; sibi suo ingenio cultus fingant. Ita enim Apostolus scribit *1. Timoth. 1.* Lex posita est injustis, inobedientibus, impiis & peccatoribus, &c. Deus enim exposcit externam disciplinam, & enormia scelera in hac etiam vita graviter punit, sic ut externam disciplinam sæpius in non natis externis præmiis remuneratur.

Deinde etiam propter transgressiones data est, hac ratione, quod peccata arguit & accusat etiam occulta, quæ ratio non agnoscit secundum illud *Roman. 7.* Concupiscentiam

non novissem, nisi lex dixisset, non concupisces. Per legem agnitio peccati est, *Roman. 3.* Lex iram operatur, *Rom. 4.* Ostendit sceditatem peccati, ut fiat abundanter peccatum, *Rom. 7.* Lex terret conscientias. Est enim vis peccati, *1. Cor. 15.* & hinc fit, quod postea Apostolus subdit: *Lex est Pedagógus ad Christum.* Ostenso enim peccato compellit hominem ad querendum medicum, quem manifestat Evangelium. Hunc usum etiam præstitit olim lex ceremonialis. Fuit enim *αἰώνιος* peccatorum, & quia lex habuit umbram verorum bonorum, id est, Christi in carne exhibiti, eatenus etiam perduxit ad Christum, agnum Dei, quem representabat, tollentem peccata mundi.

Porro, quia regeneratio & renovatio nostra non prorsus tollit omnem immunditiam & peccatum, habet in renatis etiam hunc usum, ut in eis adhærentem immunditiam, imperfectionem, & peccati reliquias arguat, & etiam coërceat: qua ratione est remedium contra Pharisaismum, ne renati fiduciam in suis operibus collocent.

II. Deus utitur ministerio angelorum, in manifestanda hominibus voluntate sua, sicut hic lex ordinata dicitur per angelos, quod ipsum etiam Stephanus affirmat *Act. 7.* & Epistola ad *Hebr. 2.* Ita etiam in annuntiandis rebus salutem nostram concernentibus,

tibus, eorum opera usus est sapius, sicut angelus definit Danieli tempus nascituri Messia, *Dan. 9.* Gabriel annunciat Mariae virginem conceptionem Messiae, *Luc. 1.* Angeli pastoribus annunciant Nativitatem Christi, & resurrectionem ejus mulieribus. Angeli gaudent introspicere in ea, quae per ministerium hominibus annunciantur, *1. Pet. 1.*

III. Quod lex homines non possit cum Deo reconciliare, ἢ πρὸς Φιλίαν adducere, docet hoc, quod populus Judaicus Dei Decalogi promulgantis vocem terribilem sustinere amplius non potuit, sed per Mediatorem Moysen secum agi petiit. Quin visum illud ita horrendum fuit, ut ipse mediator Moses expavesceret & contremisceret, *Hebr. 12.* Vox enim legis terribilis conscientias hominum terret, & instar mallei corda conterit, *Jerem. 23.* Lex iram operatur, *Rom. 8.* Ministerium mortis dicitur, *2. Cor. 3.* Qua de causa, ut homines, propter transgressiones à Deo avulsi, cum ipso in gratiam redirent, alio mediatore sancto & segregato à peccatoribus, qui excelsior caelis, *Hebr. 7.* & ipse Dominus de caelo esset, opus fuit, sicut eum populus postularat à Jehova in Horeb, in die congregationis, ne amplius audiret vocem ejus, nec ignem illum magnum videret amplius, ne moreretur, Dominus respondit: Bene egerunt in hoc, quod locuti sunt: Prophetam susci-

uscitabo illis, de medio fratrum suorum, sicut tu, &c. *Deut.* 18. Is est Messias, cui dedit Deus Pater linguam eruditam, ut sciret loqui in tempore sitibundo verbo, *Esa.* 50. Qui non ita ut Moses terret, sed pacem annunciat: Venite, *inquiens*, ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos, *Matth.* 11. *cap.* Is est unus ille Mediator inter Deum & homines, homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus, *1. Tim.* 2.

IV. Deus unus, id est, semper sibi similis est, sicut scriptum est *Psal.* 102. Tu idem es: & Deus ego ac non mutor, *Malach.* 3. Hinc invocatio & dona Dei sunt ἀμεταμέλητα, & retum verbum Jehovæ, & omne opus ejus in fide, *Psal.* 33.

V. Lex & Evangelium non sunt ἀσύσταινα, id est, non se mutuò tollunt, sed licet sint doctrinæ diversæ, tamen in suo usu optimè stare possunt. Lex enim arguens peccatum, & terrens conscientias & maledicens, aliquo modo homines præparat, ut promissio gratiæ per legem contritis dulcescat magis. Quamdiu enim homines securè indulgent peccatis, promissioni gratiæ locus non est. Nam Christus ad annunciandum mansuetis missus est, & ad alligandum contritos corde, *Esa.* 61. Et hoc ipsum indicat Apostolus, cum ait: *Scriptura omnia conclusit sub peccatum,*

L

ut

ut promissio ex fide Iesu Christi daretur creditur  
tibus. Item: *Lex est Pedagogus ad Christum*

VI. Interim notandum est discrimen  
gis & Evangelii. Lex vivificare non potest  
quia infirmatur per carnem, & naturam huma-  
nam corruptam servatum est impossibile. Quia  
re non vitam, sed mortem & maledictionem  
annunciat. Evangelium autem est promissio  
vitae aeternae, propter Christum gratis da-  
nanda credentibus: Unde habet verba, per  
qua salvamur, *Act. 11.* Est potentia Dei ad  
litem omni credenti, *Roman. 1.* Verbum re-  
conciliationis, *2. Cor. 5.*

VII. Notandum, quod Apostolus non  
dicit simpliciter: *Conclusit scriptura omnes ho-*  
*mines sub peccatum, sed omnia:* Qua Emphasi  
indicat, quicquid in homine est, sicut in hunc  
mundum nascitur, & quicquid cogitat vel  
facit suis naturalibus viribus, esse impurum  
& peccato pollutum. Unde in peccatis con-  
ceptus & natus dicitur, *Psal. 51.* Omne fi-  
gmentum cordis malum est à pueritia, *Gen.*  
*6. & 8.* Cor hominis perversum & inscrutabi-  
le, *Jer. 17.* Ex corde proveniunt cogitationes  
malae, caedes, adulteria, stupra, furta, falsa te-  
stimonia, &c. *Matth. 15.* Sensus carnis est ini-  
micitia adversus Deum, *Rom. 8.* Hinc scilicet  
homo abominabilis & contemptibilis, bi-  
bens sicut aquam iniquitatem, *Job. 15.* & mor-  
tuus in peccatis à Paulo dicitur *Ephes. 2.* Qua  
de

de causa consequens est, hominem suis naturalibus viribus & libero arbitrio se ad Deum erigere & convertere nullo modo posse.

IX. Scripturam non esse literam mortuam, ut contendunt Pontificii & Schwencfeldiani. Cùm enim *omnia concludat sub peccatum*, convincens nimirum omnes homines esse peccatores, eosq; reos ajens, necesse est, vivum scripturæ sermonem esse, ut Epistola ad *Hebr. 4.* testatur, ajens: Sermo Dei est efficax, & penetrantior quovis gladio, utrinq; incidente, & pertingente usq; ad divisionem animæ simul & spiritus, compagumque & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Hinc dicitur ex malleus conterens petras, & litera occidens, *2. Cor. 3.* Si autem mortua litera esset, non occideret. Hanc efficaciam habet à Deo, qui in ipsa loquitur, sicut, quod hinc de scriptura pronunciat Apostolus, id Deo tribuit, *Rom. 11.* Deus conclusit omnes sub incredulitate, ut omnium misereatur.

IX. De discrimine Veteris & Novi Testamenti docet Apostolus, his verbis: *Antequam venisset fides, custodiebamur sub lege, conclusi in eam fidem, qua erat revelanda.* Item: *Postquam venit fides, non amplius sub Pedagogo sumus.* Populus enim V. Testamenti sub iugo legis tenebatur usq; ad Christum, & inftar puerorū sub Pedagogo erat: Præterea,

quia lex futurorum bonorum, id est, Christi ratione carnis, in qua redemptionis operaturus erat, umbram in typis sacrificiorum aliarumq; ceremoniarum habuit, non tam claram & expressam habuit Christi venturi notitiam, sicut populus N. Testamenti habet jam fidem revelatam. Unde *concluditur* dicitur *fuisse in eam fidem, quæ erat revelanda, & credidit in eum, qui venturus erat.* Populus autem Novi Testamenti habet jam fidem revelatam. Nam Christo in carne exhibito, passo, mortuo, resuscitato à mortuis, & purgatione peccatorum nostrorum facta, ad dexteram Patris regnante, habet ipsa bona promissa, & abrogatis ceremoniis legis, sacrificiis & typis, claram Christi notitiam. Nam ex orto Sole Justitiæ, Evangelioq; per universum mundum publicato, nunc re-  
 cta facie gloriam Domini in speculo representantes, ad eandem imaginem transformamur, à gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu. Hinc Vetus Testamentum notati, Novum diei comparatur, *Rom. 13.*

X. Christiani N. Testamenti non sunt sub Pædagogo, id est, lege. Præterquam enim quod liberati sunt à lege morali, quoad Justificationem & maledictionem, etiam à jugo legum ceremonialium liberi sunt, sicut scriptum est: Non estis sub lege, sed sub gratia, *Rom. 6.* Item lex & Prophetæ usq; ad Johan-

nem,

mem, *Matth. II.* Interim tamen in lege meditari & ambulare debent.

## IV. PARS CAPITIS Hujus III.

*Omnes enim filii, &c.*

Rationem reddit Apostolus, cur nec Judæi, nec gentiles amplius sint sub legis Pædagogia, sed liberi à circumcissione, à jugo ceremoniarum legis, & præterea à maledictione legis. *Omnes enim estis filii Dei*, scilicet Judæi & gentes. Indicat autem Apostolus, quomodo fiant filii Dei, per fidem, quæ est in Christum Jesum. Quotquot enim Christum recipiunt, his dat potestatem filios Dei fieri, qui scilicet credunt in nomen ipsius, *Joan. I.* Qui Christus liberavit nos à legis jugo, in quo Christo, ut antitypo, omnes typi adimplentur, & nunc abolentur. Præterea docet, quæ sint media illa, per quæ Christus ad nos veniat, & nos ejus participes fiamus.

*Quicumque enim baptizati estis, Christum induistis:* In locum circumcissionis successit Baptismus, per quem, tanquam medium, Christus ad nos venit, & nos illum cum Justitia & purissima obedientia sua, tanquam mundissimam vestem & ornatum, induimus, quo teguntur omnia peccata nostra, ut in nobis, illo vestitis, macula non sit. Hic Christus, quem fide in Baptismo induimus, omnes, interstitio maceræ diruto, ex utrisque Judæis & gentibus.

ribus unum fecit, similitudinem per carnem  
 suam, legem mandatorum in decretis sitam  
 abrogans, ut duos conderet in semetipso,  
 unum novum hominem, faciens pacem, *Eph. 2.*  
*phes. 2.* Hinc est, quod subjungit Apostolus:  
*Non est Judaeus, neque Graecus, non est servus, ne-*  
*que liber, non est masculus & foemina: Omnes*  
*enim vos estis unum in Christo Jesu, id est, cir-*  
*cumcisi & incircumcisi, servi & liberi, ma-*  
*sculi & foeminae, sine respectu personarum,*  
 sunt unus populus, seu unus novus homo  
 per fidem in Christo Jesu. *Quod si vos Chri-*  
*sti, igitur semen Abrahae estis, & secundum pro-*  
*missionem haeredes.* Colligit ex his, quae dicta  
 sunt, omnes in Christum credentes, nulla  
 habita ratione circumcisionis vel praepitii,  
 conditionis vel sexus, esse semen Abrahae,  
 non secundum carnem, sed secundum fidem  
 & promissionem haeredes, gratiae scilicet &  
 vitae aeternae. Loquitur autem de promissio-  
 ne illa: *Ero Deus tuus, & seminis tui post te.*  
 Sicut enim antea ostensum est, semine hic col-  
 lectivè intelligitur, de omnibus fidelibus, si-  
 ve sint ex carnali semine Abrahae propagati,  
 sive sint ex gentibus. Hi sunt filii Abrahae, &  
 illorum omnium ratione Abraham multa-  
 rum gentium Pater dicitur, cum dicit Apo-  
 stolus: *Quod si vos Christi estis, intelligit hoc*  
 fieri in Baptismo, ubi Christum induimus  
 per fidem. Fide namque Christus apprehendi-  
 tur,

ur, cum ipse apprehendentes se apprehen-  
dit, & sibi inserit, & ipsi sunt Christi, sunt in  
Christo, & Christus in ipsis, &c.

LOCI COMMUNES PARTIS

IV. Cap. III.

I. Filii Dei non nascuntur ex sanguinibus,  
neq; ex voluntate viri, neq; ex voluntate car-  
nis, sed ex Deo per fidē, *Joh. 1.* Sicut id ipsum  
sic testatur Apostolus: *Omnes filii Dei estis*  
*per fidem*, sine omni *θεογνωσία*, nec habi-  
tatione gentis, conditionis, vel sexus. *Quot-*  
*quot enim ex fide sunt, hi benedicuntur cum fi-*  
*lii Abrahamo.* Omnes hi unus sunt in Chri-  
sto, omnes Christi sunt, omnes Abrahamæ se-  
n, & secundum promissionem hæredes.  
sicut enim Abraham credidit Deo, & hoc  
imputatum est illi ad Justitiam, ita etiam illis  
credentibus in Christum imputatur fides ad  
Justitiam. Quo argumento retunditur fastus  
Judæorum, gloriantium de carnali ex Abra-  
hamo propagatione. Unde Johannes Bapti-  
sta: *Ne sitis, inquit, hac mente, ut dicatis intra*  
*vos ipsos, Patrem habemus Abraham: Dico*  
*enim vobis, quod possit Deus facere, ut ex*  
*lapidibus his surgant filii Abrahamæ, Matth. 3.*

II. De efficacia & usu Baptismi, quod nō  
tantum est signum gratiæ, & nostræ in Chri-  
stum infitionis, sed medium etiam salutare,  
quo Christum induimus, quotquot baptizati su-  
mus: sicut Apostolus diferte pronunciat. *Qui*

locus primùm notandus est contra Anabaptistas, qui negant, infantes esse baptizandos. Si enim nemo extra Christum salvatur (non enim est in alio quoquã salus, *Act. 4.* & proinde nec infantes; oportet illos baptizari, ut Christũ in Baptismo induant, & per ipsum salventur. Quod ipsum Servator noster testatur, *Joh. 3.* Nisi quis renatus fuerit aqua & Spiritu, non potest introire in regnũ cœlorum. Ita Christus dilexit Ecclesiam, & mundavit eam lavacro aquæ in verbo, *Eph. 5.* Itaque nisi parvulorum cœtum, extra Ecclesiam relictum, æternæ damnationi immisericorditer & tyrannicè destinare velimus, aqua & Spiritu ordinariè renasci, & lavacro aquæ in verbo lavari, atq; ita in regnum cœlorum, quod parvulorum esse pronunciat Christus, introire necesse est.

Deinde etiam notandus est hic locus contra Bezam & alios, qui non solum affirmant, Baptismum esse tantum signum gratiæ, sed etiam contendunt, in Baptismo non statim regenerari & renovari infantes, sed postea demum, cum ad annos discretionis pervenerunt, nec de omniũ infantium baptizatorum, si ex hac vita discedant, salute certè pronuntiandum, sed probabiliter saltè sperandum. Qui hanc suam erroneam opinionem virtutem Baptismi evacuant, & consolationem nobis in eo contra tentationes positam, adimunt.

munt. Nam luculenta est Apostoli assertio:  
*Quicumq; baptizati estis, Christum induistis.*  
 Hinc subsumimus: Infantes sunt baptizati:  
 Ergo Christum induerunt. Unde quam pri-  
 mum infans est baptizatus, pronūciare pos-  
 sumus, illum Christum induisse per hoc sa-  
 lutare medium. Si Christum induit; Ergo re-  
 generatus est, & ex filio iræ, filius Dei factus  
 est. Si filius Dei est: Ergo per fidem in Chri-  
 sto Jesu Filius Dei est. Ergo infans credit, pro-  
 modulo scilicet ætatis suæ, secundum ope-  
 rationem Spiritus S. Rursus, si filius Dei est:  
 Ergo hæres vitæ æternæ. Unde certum est,  
 cum moritur, illum salvari, quandoquidem  
 obicem infantes non ita, ut adulti, ponere  
 possunt. Quæ omnia *ἀδαπαλλίως* cohærent.  
 Testatur id ipsum Apostolus, *Tit. 3.* Salvos  
 nos fecit per lavacrum regenerationis & re-  
 novationis Spiritus S. Et hinc nobis insignis  
 consolatio proposita est in Baptismo, de qua  
 Petrus *1. Epist. 3.* ait: Baptismus nos salvos red-  
 dit, quo non carnis sordes abjiciuntur, sed  
 quo fit, ut bona conscientia benè respon-  
 deat apud Deum, per resurrectionem Jesu  
 Christi, &c.

## CAPUT IV.

## ARGUMENTUM ET PARTES IV.

## Capitis.

I. *Predicat Apostolus beneficium Christi,*  
*qui nobis à legis jugo liberatis, jus adoptionis ac-*

L S

quisi-

quisivit. Deinde, Galatis ab Idololatria Ethnicis ad cognitionem veri Dei vocatis, suum ab Judaismo relapsum exprobrat, unde illos revocare blandissimis verbis enititur. Tertio, Galatarum affectionem & studium erga se commendat, & ex hac ratione illos moderate perstringit, quod ita facile adversariis veritatis aures prebeant, & alieniore ab ipso animo facti sint. Quarto, captans benevolentiam, ipsis statum & conditionem Judæorum, sub legis servitute, & Christianorum per Christum ab ista servitute liberatorum allegoriâ Hagar & Sara, Ismaël & Isaaci illustrat, ut ita ipsos ad libertatis Christiana cognitionem revocet.

## PARAPHRASIS I. PARTIS.

*Dico verò quamdiu.*

Quod superiori capite dixerat Paulus, Judæos in V. Testam. olim sub lege custoditos & conclusos fuisse in eam fidem, quæ revelanda erat, & sub lege tanquam sub Pedagogo fuisse, id jam alia similitudine docet, sumpta à pupillis, qui quâdiu minores, sub tutoribus sunt. *Dico verò, quamdiu heres puer est, nihil differt à servo, licet Dominus sit omnium, scilicet bonorum paternorum, id est, pupillus, licet hæres & Dominus omnium facultatum paternarum sit, tamen quantum ad usum & administrationem bonorū attinet, non plus habet potestatis in ea, quàm servus. Sed sub*

tutoribus est, & curatoribus, id est, Oecono-  
 mis & bonorū dispensatoribus, usq; ad tem-  
 pus à Patre præfinitum, nempe tempus illud,  
 quod Pater in Testamento præscripsit, vel  
 secundum jura, usq; ad annum 25. Quemad-  
 modum autem homo habet suas ætates, in-  
 fantiam, pueritiam, adolescentiam, virilem  
 ætatem, &c. Ita etiam mundus habet suas æ-  
 tates. Qua de re Apostolus subjicit: *Ita & nos,*  
*cum essemus pueri, sub elementis mundi eramus,*  
*in servitutem redacti.* Loquitur Apostolus de  
 Judæis, qui in Veteri Testamento fuerunt  
 instar puerorum & pupillorum sub lege,  
 quam per elementa mundi intelligit Pau-  
 lus, *Sub quibus fuerunt in servitutem redacti.*  
 Non enim licuit tum Judæis, liberè pro suo  
 arbitrio vivere, sed ad legis præscriptum ob-  
 servare dies festos, à certis cibis abstinere, &  
 alios plures ritus observare, quæ fuit illius tē-  
 poris œconomia & disciplina, & quasi scho-  
 la, in qua tanquam rudimentis & primis ele-  
 mentis informabantur, usque ad adventum  
 Christi in carnem, ubi non amplius prima e-  
 lementa & rudimenta traduntur, id est, ob-  
 scurior Christi notitia, sub involucris cere-  
 moniarum, sed aperta & plana Christi cogni-  
 tio, sine illis rudimentis, exorto ipso Sole Ju-  
 stitiæ viget, nec tantum in uno mundi angu-  
 lo, ut olim, sed in universo orbe terrarum ef-  
 fuso Spiritu sancto opulentè in Ecclesiam  
 per

per orbem sparsam. Isti servituti Veteris Testamenti opponit Apostolus conditionem libertatis Christianorū in Novo Testamento, in quam Christus illos asseruit, ubi paratius Oeconomix & tutelæ finis est.

*At ubi venit plenitudo temporis, emisit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, &c.* Per plenitudinem intelligit tempus incarnationis Filii Dei, in consilio Dei destinatum, & in Prophetis expressum. Emissio Filii Dei non fit ex superno & definito seu corporali loco, per visibiles cœlos in terram, quæ emissio faceret Filium Dei in se finitum & mutabilem: sed aliud non est, quàm quod Filius Dei infinitus, ex beneplacito Patris sui, ex incomprehensibili sua majestate, & luce inaccessa se inclinavit ad vilitatem corporis nostri, ut loquitur Athanasius, & naturam humanam in unitatem personæ suæ assumpsit. Quod indicat Apostolus, cum ait: *factum ex muliere*, notanter dicit, Filium Dei factum ex muliere, primùm, quia sine vitili semine, præter rerum seriem, operatione Spiritus sancti, ex B. virgine Maria Filius Dei natus est verus homo. Respicit enim ad primam promissionem Apostolus, *Semen mulieris conteret caput serpentis*. Deinde, quia (ut Græci interpretes annotant) non per mulierem transitum fecit, sed ex muliere corpus assumpsit. Vox mulieris nō virgini, sed sexui

virili tantum opponitur. Nasciturus enim erat Messias ex virgine, secundum vaticiniū, *Esa. 7. Ecce virgo concipiet, & pariet Filium.* Addit Apostolus, *factum sub lege*; Erat enim Dominus legis Filius Dei, sed factus homo, sua sponte propter nos se legi subjecit, illi plenam & numeris omnibus absolutā præstans obedientiam, in tota vita, in passione & morte, &c. Quo fine? Ut nos, qui sub lege erant, & illam implere non poterant, ideoq; maledicti erant, *redimeret*, nempe à legis maledictione, servitute, & jugo legum ceremonialium, *ut adoptionem acciperemus*. Abolitā enim maledictione, libertatem & jus adoptionis filiorum Dei nobis impetravit. Hujus adoptionis consequens effectum, tanquā signum & testimoniū exprimit Paulus, *quoniam autem estis filii* (& proinde liberi à legis maledictione & servitute) *emisit Deus Spiritum Filii sui, in corda vestra, clamantem, Abba Pater*. Etenim Spiritus Christi Filii Dei, emissus in corda fidelium, est adoptionis effectum & testimoniū. Hic Spiritus, quia est Spiritus gratiæ & precum, non tantum gratiam adoptionis in credentibus obsignat, sed etiam clamat, id est, docet illos orare, intercedens pro illis, gemitibus inenarrabilibus, *Rom. 8. ut ipso movente clament fideles in precibus suis, Abba: quod Hebræis seu Chaldæis est Pater*. Et ita preces illæ sunt testimoniū

nium habitantis in fidelibus Spiritus sancti  
 & ulterius etiam adoptionis, id est, perhibet  
 Spiritui illorum testimonium, Deum Patrem  
 ipsorum esse, quem ipsi, tanquam filii, in  
 suis orationibus & gemitibus compellunt  
 Patrem. Porro mutatio illa personæ primæ  
 in secundam, nempe, *quonia estis filii*, &  
 arguit beneficium illud Christi non ad Ju-  
 dæos tantum, sed ad omnes fideles, in quo-  
 cunque sint populo, pertinere. Hinc igitur  
 rursus mutans numerum infert; *Itaq, jam  
 non es servus, sed filius: si autem filius, & hæres  
 Dei per Christum*. Voce (servus) non intelligit  
 eum, qui peccato serviat, sed qui legi servire  
 cogatur, sicut in Veteri testamento Israelite.  
 At per Christum credentes à servitute illa  
 legum ceremonialium sunt liberati, & tan-  
 quam filii è potestate tutorum exempti sua  
 libertate utuntur. Inde, quòd dicit, omnem  
 fidelem esse filium, pergit inferre per grada-  
 tionem quandam, *si autem filius & hæres*, ni-  
 mirum omnium cœlestium bonorum, per  
 Christum illius tanti beneficii autorẽ. Muta-  
 tione illa numeri aliud non vult innuere Ap-  
 ostolus, quàm libertatem istam nõ tantum  
 in genere ad Ecclesiam Christi, sed ad unum-  
 quemq; credentium spectare.

LOCI COMMUNES PARTIS

I. Cap. IV.

I. Cùm ait Apostolus, *heredem quam diu*

puer

puer est, esse sub tutoribus & curatoribus, docet, pupillos naturalibus parētibus orbatos suis tutoribus & curatoribus subiectos esse debere, & pertinere etiam ad ipsos quartum præceptum, de honorando patre & matre. Unde ante tempus à parentibus vel in Jure præfinitum sui juris non sunt.

II. Rursus de discrimine populi Veteris & N. Testamenti, locus proponitur. Quod ille sub jugo legum Mosaicarum fuit veluti servus: hic verò per Christum ab illa servitute liberatus est. Habet tamen lex moralis suum adhuc usum in hominibus etiam renatis, ut in illis ratione externi hominis arguat peccatum, eosq; cohibeat, ne in scelera externa ruant, sicut superiore capite dictum est.

III. Missio Filii Dei argumentum est divinitatis ejus. Si enim in hunc mundum missus est, necesse est illum, antequam missus est, extitisse, sicut *Joh. 1.* scriptum est: In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum, &c. Et *Proverb. 8.* Jehova possedit me principio viæ suæ, ante opera sua, ex eo tempore, id est, ab æterno acquisivit me, per æternam generationem. A seculo principatum habui, à principio ante terram, cum nondum essent voragines, formata sum, id est, genita ab æterno, antequam montes fundati essent, formata sum, item eram apud eum (Jehovam) inde ad *Coloss. 1.* dicitur imago Dei inconspicui

cui & primogenitus omnis creaturæ. Ubi notandum, quod non dicitur *πρωτόκτιστος*, est, primùm creatus, ne quis cum Arriano Filium Dei primam creaturam somniet, sed *πρωτότοκος*, primogenitus. Distinguit enim manifestè creationem à generatione, ut sententia Apostoli, Filium Dei, antequam quicquam creatū esset, (ubi ne tempus eodem eximitur) genitum esse Filium Dei, proinde esse æternum Dei Filium, unigenitum à Patre, *Joh. 1.* sicut etiam *1. Joh. 5.* dicitur verus Deus & vita æterna.

IV. Missio Filii Dei non est facta ab initio mundi, nec humano consilio, sed ex neplacito æterni Patris, sub plenitudinem temporis, in Prophetis olim secundum æternum Dei consilium præfiniti. Ita enim prædixerant sancti Dei homines, Messiam in hunc mundum nasciturum, ablato sceptro à Juda, *Genes. 49.* sub quarta Monarchia, *Daniel. 2.* elapsis 70. hebdomadibus, ab exitu sermonis, de reducendo populo ex captivitate, & reædificandis Hierosolymis, *Daniel. 9.* stante adhuc secundo templo, *Hagg. 2.* & oppido Bethlehem, *Michea 5.* Sicut hisce circumstantiis Prophetæ definierāt tempus adventus Messia: Ita etiam sub plenitudinē istius temporis missus est in hunc mundum, ut appareat Jesum nostrum Nazarenum, quem nos Messiam & Salvatorem mundi confitemur,

mur, esse signaculum omnium Prophetarum.

V. De mysterio unionis personalis duarum naturarum in una Christi persona. Non enim tantum homo est Christus, sed & Filius Dei, verus Deus, factus ex muliere, sine virili semine: unde filius virginis dicitur *Esa.* Id est, ex ipsa mulieris B. Virginis substantia assumpsit humanam naturam, Spiritus sancti operatione sanctificatam & mundatam.

Atque ita Filius Dei factus est verus & perfectus homo, constans animam rationali & corpore, & præterea sanctus & impollutus,

*Hebr.* 7. Non autem Filius Dei & filius mulieris est alter & alter, sed unus Christus est perfectus Deus & perfectus homo. Multæ

igitur hæreses hoc brevi aphorismo refelluntur. Primùm Ariani negantes Christum

esse verum Deum, sicut paulò antè ostensum est. Secundò Nestoriani, negantes Mariam esse Θεολόγον, id est, Deiparā, vel Dei matrem.

Quia enim Filius Dei factus ex muliere: Ergo Filius Dei est mulieris filius. Unde illa Mater Domini dicitur ab Elisabetha, *Luc.* 1.

Tertiò Eutychiani, qui post unionem dixerunt unam esse in Christo naturam. Factus

est enim Filius Dei ex muliere, non conversione Deitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Est homo ille verus,

& verus Filius Dei, ἀσυγχύτως, id est, inconfusè.

fusè. Quartò, Valentiniani, qui carnè Christi  
 facti nugati sunt deportatam esse è cœlo, per  
 uterum virginis, tanquã per canalem. Contra  
 trã Paulus manifestè dicit, Filiũ Dei factum  
 ex muliere, id est, ex ipsius substantiã, sicut  
 etiam angelus ait: Sanctum, quod ex te nati-  
 scetur, Filius Altissimi vocabitur, *Luc.*  
 Quintò, Qui unionem personalem deservi-  
 niunt tantum sustentatione tali humanæ na-  
 turæ in loco, ut à Filio Dei dependeat.  
 enim in eo consistit unionis personalis mys-  
 terium, quod tantum caro illa sustentatur  
 & conservatur in loco à Filio Dei, tunc caro  
 illa per se erit persona, quæ non secus ac nos  
 conservatur. At longè arctiorẽ unionis dua-  
 rum naturarum in Christo, & magis eximiã  
 rationem designat Apostolus, dum ipsum  
 Dei Filium dicit factum ex muliere. Quæ A-  
 postolica sententia indicat, carnem illam in  
 primo assumptionis momento in Deum as-  
 sumptam, ut Athanasius loquitur, ut in per-  
 sona Filii Dei *ὁ ἀγαπῶν*, id est, indistanter  
 suam subsistentiam habeat, qua ratione om-  
 nium aliorum hominum naturam trans-  
 greditur, translata, ut Cyrillus ait, in condi-  
 tionem assumptis eam.

VI. Filium Dei factum ex muliere, non  
 tantum passiva sua obedientia, sed etiam a-  
 ctiva pro nobis satisfecisse, & nos, qui sub le-  
 ge erant, redemisse, docet Apostolus, cum  
 dicit:

icit: Factum sub lege. Phrasis enim illa, *Sub lege esse*, significat non tantum sub legis maledicto, sed etiam sub legis obedientia esse, ut apparet ex v. 21. hujus capituli. Filius enim Dei factus homo, non sui causa erat obstrictus ad legis obedientiam, siquidem ipse Dominus legis esset, qui aliis imponendi legem potestatem habebat. Itaque nostri causa factus est sub lege, in tota sua vita, & in se etiam recepit maledictionem legis, ut nos sub lege constitutos, qui illam implere non poterant, deoq; maledictionis rei erant, à maledicto legis redimeret, & nos abolita maledictione adoptionem acciperemus. Hæc utraq; obedientia, sicut fuit indebita, & ab infinita persona dependit, ita sufficiens fuit ad placandum iratum Deum, plenamq; infinitæ & divinæ Justitiæ pro peccatis nostris satisfactionem præstandam. Unde Apostolus affirmat *Rom. 5.* unius obedientiâ justi constituuntur multi.

VII. De certitudine adoptionis & salutis nostræ, quam indubitato deprehendimus ex spiritu arrhabone salutis nostræ. Quo nobis adoptio tanquam certissimo pignore obsignatur. At de arrhabone spiritu ex ipsius motibus certi sumus, nimirum ex precibus & gemitibus inenarrabilibus, quod ipse clamat in nobis, id est, facit ut clamemus, *Abba Pater*. Atq; ita perhibet spiritui

nostro testimonium, quod simus filii Dei. *Rom. 8.* Cum aliàs sine illo spiritu, quid cogituri simus, nesciamus, imò nemo possit dicere Dominum Jesum, nisi per Spiritum sanctum, *1. Cor. 12.*, qui ideò spiritus gratiæ & precum dicitur *Zach. 12.* Qui itaq; de gratia Dei & salute dubitandum docent, hi Deum & spiritum ejus mendacii arguunt, cum contra spiritum testetur, quod spiritus sit veritas, *Johan. 5.*

**II X.** De sacrosancto Trinitatis mysterio testimonium luculentum suppeditat Apostolus. Mentionem enim facit trium personarum SS. Trinitatis, cum inquit: *Deus misit Filium suum*, id est, Deus Pater sibi coæternus & consubstantialis Filium misit, sub plenitudine temporis, in hunc mundum, & paulò post: *Quoniam autem estis filii, emisit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* At unus Deus est, & præter illum nullus, *Deut. 6.* Ergo unus ille Deus est Pater, Filius & Spiritus sanctus, sicut in hujus sanctæ Trinitatis consubstantialis virtute baptizamur. Quæ Trinitas etiam manifestis sese apparitionibus patefecit.

**IX.** De processione Spiritus sancti à Filio. Dicitur enim hic *Spiritus Filii*, cur? quia procedit à Filio. Nam quemadmodum Spiritus Patris dicitur, quia à Patre procedit, *Johan. 1.* Ita filii Spiritus dicitur, quia à Filio procedit.

edit. Unde spiritus oris filii & labiorum eius dicitur, *Psal. 33. Esa. 11. 2. Theff. 2.* sumpta similitudine à spiritu humano, qui ex ore hominis efflatur & procedit. Et ita, licet proprius ineffabili & inscrutabili ratione, spiratur Spiritus sanctus non minus à Filio, quam Patre.

X. De gloria & excellentia fidelium, quod filii Dei dicuntur. Quid enim gloriosius & excellentius? quam Filium summi Dei & fratrem intimissimi, & naturalis illius Filii nominari? Quæ autem est inter Deum & hominem creaturam, eamque peccato inquinatam proportio? Quod itaque Deus in tantam dignitatem nos miseros homines extulit, næ hoc omnis linguis ineffabile beneficium est. Si Rex quispiam hujus seculi bubulum adoptaret in Filium & regni hæredem, quis non summam bonitatem illius admiraretur? At Rex regum, & Dominus dominantium nos homines è luto peccatorum evehit in tantum fastigium. Quod beneficium Johannes prædicat *Joh. 1.* Quotquot autem receperunt eum, eis dedit potestatem filios Dei fieri, qui credunt in nomen ejus. Neque verò nos nudo tantum illo titulo exornat Spiritus sanctus: sed ipsum etiam jus filiorum, & hereditatem omnium cælestium bonorum nobis tribuit, teste Apostolo: Si filius & hæres per Christum. Unde rursus *Johan. ait 1. Epist. 3.* Videre

qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur. Et mox: Charissimi nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit id, quod futuri sumus. Scimus autem, quod si apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est. Quum itaq; tanto honore nos dignatus sit benignus Pater, ut nos filios adoptaverit, caveamus, ne illum vitia impura dehonesteamus, sed quantum in hac naturæ infirmitate fieri potest, vitia sancta exornemus, ut simus irreprehensibiles & sinceri filii Dei, inculpati in medio nationis pravæ & perversæ, *Philip. 2.* inter quos splendeamus, veluti luminaria in mundo. sermonem vitæ prætendentes.

## II. PARS CAP. IV.

*Sed tunc quidem ignorantes Deum, &c.*

Postquam Paulus de Judæorum servitute sub lege differuit, nunc & de Galatarum servitute subjicit, ostendens ipsos interea temporis sub turpi servitute, id est, sub idololatria fuisse. *Sed tunc quidem*, cum Judæi sub servitute legis essent, *ignorantes Deum serviebatis iis, qui naturâ non sunt Dii.* Indicat Galatas, ignaros veri Dei, idololatriæ deditos fuisse. Quod dicit illos, *serviisse illis, qui naturâ Dii non sunt*, eo opponit vocem, naturâ, opinionem, innuens illos opinatos fuisse Deos esse, qui tamen Dii verè non fuerint, ut sunt Sol, Luna, ligna, lapides, argentum, aurum, &c.

Ab hâc fœda servitute liberati, & per prædicationem Evangelii in felicem statum transfati sunt, è quo tamen rursus in aliam servitutum, nempe ad Judaïsmum cum jactura salutis suæ relabantur. *Nunc autem, inquit, cum cognoveritis Deum, imò potius cogniti sitis à Deo, quomodo convertimini rursus ad infirma & egena mundi elementa, quibus prorsus ab integro servire vultis?* quasi dicat: Indignum est & absurdum prorsus, vos è turpi servitute idolorum per Evangelium ad veri Dei cognitionem vocatos, nunc ad aliam servitutum, ad Judaïsmum scilicet relabi, imò res multo indignior est, quàm si Judæi è cura tutelari emissi per Christum, sub illa tamen manere velint, ut cui assueverunt ab initio. Quod autem illos potius cognitos à Deo, quàm cognovisse Deum, ait, eo docet, illos Deum verè cognoscere non potuisse, nisi ipse per verbum suum eis innotuisset, & dedisset spiritum sapientiæ & revelationis per agnitionem sui, *Ephes. 1.*

*Per infirma & egena mundi elementa*, intelligit ceremonias Mosaicas, sicut paulò pòst interpretatur, quæ ideò infirma & egena vocat, quia extra Christum per se conscientias emundare (*Hebr. 9.*) & salvare non possunt. Unde etiam *ὁ γὰρ τὸ ἀσθενὲς ἢ ἀνωφελὲς*, quia salutem per se non conferebant, abolitæ sunt, *Hebr. 7.* Præterea, quia hæ cum Evangelio

conjunctæ faciunt Christum ejusque men-  
 tum inefficax & insufficiens ad salutem. In-  
 que indignum est, semel per Evangelium ad  
 veram Dei cognitionem vocatos, ad illa ele-  
 menta infirma recurrere, & de novo rursus  
 illis servire, quod aliud non est, quàm si quis  
 in inclyta aliqua schola benè profecisset, &  
 insignem cognitionem sibi comparasset, se-  
 postea ad scholam Alphabetariorum recur-  
 reret, & de novo initium discendi faceret.  
 Quid verò sit, infirmis & egenis mundi ele-  
 mentis servire, docet Paulus ita subjungens:  
*Dies observatis, & menses, & tempora, & annos,*  
 nimirum ex præscripto legum Mosaicarum.  
 Loquitur enim de festis Judæorum, jejunis,  
 Neomeniis, anno remissionis, Jubilæo, &c.  
 At quid, dicas, periculi hoc habet? Pluri-  
 mum sanè, *timeo*, (inquit Apostolus) *vobis*,  
 id est, salutis vestræ, *ne frustra erga vos labora-*  
*verim*, id est, ne omnes labores vocationis  
 Apostolicæ apud vos inanes sumptissem, ne  
 frustra me prædicando, & Christum vobis  
 inculcando apud vos fatigaverim. Qui enim  
 cum Christi Evangelio Judaïsmum commi-  
 scent, illis Christus factus est inutilis, cum in  
 ipso solo, nec ulla re alia salus hominibus  
 constet. Qua de causa humanissimis verbis  
 illos revocat eò, unde exciderunt: *Estote sicut*  
*ego (sum) quia & ego sum sicut vos estis, fratres*  
*rogo vos.* Quibus verbis singularem animi  
 sui

fui in Galatas propensionem declarat, quasi dicat. Ego animo erga vos sum candido & benevolo, qui vestram salutem ex animo sitio: *Estote vos etiam sicut ego*, id est, optima quæq; vobis de me persuadete, *rogo vos*, date petitioni meæ locum. Non enim Apostolus fieri vult sicut Galatæ, id est, Judaismo se addicere, sed vult suam erga ipsos affectionem demonstrare, & similem ab ipsis erga se teneri, quo obtento, admonitionibus ejus salutaribus facilè daturi sint locum.

## LOCI COMMUNES PARTIS

### II. Cap. IV.

I. De idololatria Ethnicorum, quod iis, qui natura, id est, verè Dii non sunt, tanquam Diis servierunt. Etsi enim multi sunt, qui dicuntur Dii in mundo, id est, etsi multi non verè, sed opinione hominum Dii sunt, nobis tamen unus Deus est, 1. Cor. 8. is est Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus, præter quem unum Deum alius non est. Magna itaq; cæcitas est gentilium, pro Creatore creaturis ferventium & populum Deorum, ut Nazianzenus loquitur, fingentium. Quum autem æternam Dei potentiam & divinitatem ex operibus cognoverint, & tamen ipsum ut Deum non glorificaverint, & gloriam immortalis Dei mutarint per imaginem non solum ad mortalis hominis similitudinem effictam, sed etiam volatilium, & quadrupedum,

dum, & reptilium, inexcusabiles sunt, *Roman. I.*

II. Tum demum nos rectè cognoscere Deum, quando ab ipso cognoscimur, testatur Apostolus illa sua correctione, qua Galatis scribit: *Cum cognoveritis Deum, imò potius cogniti sitis à Deo.* Nos enim naturâ stulti & tardi corde ad intelligendum & credendum salutis nostræ mysteria, imò ne idonei quidem sumus ad cogitandum quicquam ex nobis ipsis, tanquam ex nobis ipsis, *2. Cor. 3.* Cognoscimur autem à Deo, quando ipse nos ad cognitionem sui per prædicationem Evangelii vocat, & Sp. suo S. discussis ignorantia tenebris mentes nostras illuminat, ut ipsum & veram salutis viam, quæ Christus est, agnoscamus. Sic namq; Deus cognoscit nos, quando facit, ut nos ipsum cognoscamus, id est, quando Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, dat nobis spiritum sapientiæ & revelationis per agnitionem sui, illuminatos oculos mentis nostræ, ut sciamus quæ sit spes, ad quam ille nos vocavit. Quo sensu etiam loquitur *1. Cor. 8.* Si quis diligit Deum, hic cognitus est ab eo, & *1. Cor. 13.* Nunc cognosco ex parte, tunc verò cognoscam, sicut & cognitus sum. Præterea cognitio illa Dei, qua nos cognoscit, Hebræa consuetudine etiam significat approbationem, unde tum demum ab ipso cognoscimur, quando ipse nos

nos adoptat in filios & hæredes vitæ æternæ.

III. Notandum, quomodo ceremoniæ legis à Deo ipso per Mosen olim institutæ, hic dicantur infirma & egena mundi elementa. Non autem infirma & egena sunt ratione divinæ ordinationis, ita namq; umbrâ habuerunt futurorum bonorum, & typicè Christum præfigurarunt; Præterea per circumcisionem, sacrificia aliasq; ceremonias legis, Dominus etiam tanquam per salutaria media efficax fuit in Veteri Testamento, & salutem in sanctis operatus est. Infirma autem sunt & egena elementa fuerunt, etiam in veteri populo ante Christum exhibitum, quando ipsis per se ex opere operato efficaciam & meritum salutis adscripserunt, cum sine fide & pœnitentia homines illis uterentur, qua ratione tanquam abominationem, sacrificia, Neomenias & alios ritus, Dominus detestatur *Esa. 1. Michea 6. Amos 5. & sæpiùs.*

Deinde jam Christo in carne manifestato, quando cum opinione necessitatis, cultus & meriti retinentur & urgentur, tanquã ad salutem necessariæ. Ita enim Epistola *Hebr. 7.* ait: *Ἡ δὲ ἀσθενὴς ἢ ἀνωφελὴς abolitas,* Inde verò contra Pontificios rectè colligimus: si illæ ceremoniæ, quæ divinitùs institutæ fuerunt, infirma & egena mundi elementa, quinimò cum periculo salutis, si opinio

nio necessitatis cultus & meriti accedat, ne  
 furpantur, sicut Paulus testatur Galatis: *Ti-*  
 meo vobis, ne frustra in vobis laboraverim.  
 Quantò magis traditiones hominum, & ce-  
 remoniæ sine mandato, imò contra manda-  
 tum Dei in Ecclesiam investæ, ut sunt apud  
 Pontificios Missa, aqua lustralis, cultus ima-  
 ginum, peregrinationes ad sepulchra sancto-  
 rum, &c. cum idololatria, superstitione, opi-  
 nione cultus & meriti factæ, infirma & ege-  
 na mundi elementa sunt, quin potius coram  
 Deo abominatio, de quibus *Ἐλεθεσεναι*  
 Dominus ait *Matt. 15.* Frustra me colunt do-  
 ctinis, quæ sunt mandata hominum.

IV. Cùm Apostolus Galatas obijret,  
 quod dies observent, & tempora, & annos,  
 & menses: Quæritur: An omnis temporum  
 observatio Christianis sit interdicta? Ad quã  
 quæstionem respondetur: Cùm Deus Solem  
 & Lunam creaverit hoc fine, ut sint homini-  
 bus in signa & tempora, *Genes. I.* Necessariò  
 sequitur, non omnium temporum observa-  
 tionem populo Dei prohibitã. Habet enim  
 usum physicum, quòd Sol & Luna certo suo  
 cursu distinguunt annos & anni partes, ver,  
 æstatem, autumnum, hyemem, menses, dies:  
 qui Physicus usus non est prohibitus, quin  
 hæc observatio temporum etiam in medi-  
 cina suum usum habet: prohibita tamen est  
 superstitiosa temporum observatio, quibus-  
 dam

dam Astrologis usitata, qui ex inspectione & consideratione cursus, & positus siderum tempestates, & ex innotatione horoscopi hominibus in certos dies, & momēta, eventus in vita ipsorum futuros pronunciant, unde superstitio, metus, diffidentia Ethnica in mentibus eorum plantantur, sicut *Esa.* 47. Dominus illam superstitiosam temporum observationē redarguit in Babylonii: Stent, inquit, & servent te speculantes cœlum, qui contemplantur stellas, & qui cognoscere faciunt menses ab iis, quæ futura sunt super te: Ecce tanquam stipulæ ignis comburent eos, non liberabunt animâ suam de manu flammæ. Deinde observatio temporum in Chronologiis, & vita civili utilis & necessaria est. Præterea in Ecclesia etiam, quoad genus necessaria sunt certa tempora, ad celebrandos conventus publicos, ad prædicationem verbi Dei, & dispensationem Sacramentorum: licet quoad speciem liberè his temporibus & diebus festis utatur Ecclesia, nec ad certos dies alligata sit. Ubi tamen hoc attendendum, quia in Ecclesia omnia secundum sanctionem Apostolicam, *1. Cor. 14.* fieri debent ordine & decenter, non temerè ceremoniæ & festa publicè absq; superstitione recepta violanda sunt, & qui temerè ea contemnunt, illi in Deum ordinis autorem, & confusionis osorem peccant. Deniq;, quod

Apo.

Apostolus metuit Galatis observatibus diebus tempora, & menses, & annos, hæc causa est, quia ea tanquam ad salutem necessaria urgebant, & salutis fiduciam in illorum observatione ponebant, qua ratione non procul ab idololatria aberant. Liberos autem esse ab hac, secundum legem, observatione temporum Christianos, docet Paulus ad *Coloss. 2. 16.* inquiens: Ne quis vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi, aut novilunii, aut Sabbathorum, quæ sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi.

## III. PARS CAPITIS IV.

*Nihil me læsistis.*

Exprobravit Apostolus Galatis ab idololatria Ethnica ad vivum Deum conversis suum ad Iudaismum relapsum, unde eos humanissimis verbis revocare conatus est. Exprobrationem illam mitigat, commendans erga se illorum singularem amorem, quam tamen commendationem eò dirigit, ut ipsorum in audiendis, & perditè sectandis Pseudoapostolis facilitatem perstringat: *Nihil me læsistis*, id est, nulla injuria me affecistis, nec ullam mihi malè vobis volendi causam dedistis, quin potius omnem benevolentiam mihi exhibuistis, cujus rei subjicit rationem, prædicans summum illorum erga se studium & amorem.

*Nostis autem, quod per infirmitatem evangeliz-*

*angelizaverim vobis prius, & tentationem, qua e-*  
*rat in carne mea, non estis aspernati, neq; respui-*  
*stis.* Quibus verbis loquitur de sua apud Ga-  
 latas conversatione, quoad externam spe-  
 ciem, humili & contempta, qua tamen infir-  
 mitate ejus non sint offensi, nec tentationes  
 ejus in carne, id est, varias Judæorum alio-  
 rumq; Evangelii hostium & persecutorū ve-  
 xationes, contemptum, & alias corporales &  
 spirituales tentationes, quas 2. Cor. II. § 12.  
 capitibus recenset plenius, sint aspernati,  
 nec respuerint, *quin potius, inquit, ut angelum*  
*Dei me excepistis*, id est, tanquam legatum è  
 cœlo ad vos demissum, *ut Christum Jesum,*  
 quod amplius est.

Quod autem se ab ipsis, ut Christum Je-  
 sum exceptum, prædicat, non sibi ab ipsis di-  
 vinum, qui soli Christo debetur, honorem &  
 cultum exhibitū intelligit. Illum enim neu-  
 tiquam acceptasset servus Christi, sed sicut  
 Lystris fecerat, à se propulsasset: Verum ra-  
 tione ministerii, & legationis Apostolicæ, se  
 ut ipsum Dominum, à quo missus fuerat, ab  
 ipsis exceptum indicat. *Quæ igitur beatitu-*  
*do vestra, scilicet erat? Id est: Quàm felices*  
 & beati tum vos Galatæ passim omnium o-  
 re prædicabamini, ob vestrum in amplecten-  
 da Evangelii veritate zelum? Et ut summam  
 illorum, & pene incredibilem affectionem,  
 & studium Galatarum laudibus extollat, ad-  
 dit:

dit: *Testimonium reddo vobis, quod si fieri potuisset, oculos vestros effossos dedidisset mihi, temptationem verò voluntatis in ipsis moderatè redarguit. Itaq; inimicus vester factus sum, verè loquens vobis?* quasi dicat: *Annè ideò alieno & hostili erga me animo facti estis, quod vobis veritatem Evangelii annuncio, & ut in eadem persistetis, vos adhortor? Porro huius rei culpã transfert in Pseudoapostolos, perverfo in ipsos zelo flagrantes, ut à veritate Evangelii eos abducant, ambiunt vos non benè, sed excludere vos volunt, ut ipsos emulemini.* Forma loquendi sumpta est à Zelotypia perversa eorum adulatorum, qui in aulis, sui ventris & commodi causa, Dominos & Principes suos ita perditè amant, ut alios juxta se ferre nolint, sed excludant, ut ipsi soli se pascant. Illorum similes esse dicit Pseudoapostolos, qui Galatas perditè ament, & non cum ipsorum bono, sed ut ipsos à veris Apostolis, imò ab ipso Christo excludant, & sibi solis addictos faciant, sicut ait: *Excludere vos volunt, ut ipsos emulemini,* id est, ut ipsos amore prosequamini.

Contra autem alium bonum & pium zelum ab ipsis requirit insigni sententiã, *Bonũ, inquit, est emulari,* id est, zelum habere, & ardentem amorem in re bona, *& non ad tempus tantum, dum presens apud vos sum sed semper & constanter,* quasi dicat: *Initio cum vobis*

bis Evangelium annunciarum, bono & laudabili zelo, feruentiq; amore Evangelii flagrabatis, sed cum à vobis discessi, paulò post zelus ille cœpit frigere. Atq; ita levitatem & inconstantiam illorum, non obscure perstringit.

LOCI COMMUNES PARTIS

III. Cap. IV.

I. Rursus singularis moderatio Apostoli in redarguendis Galatis observanda est. Ne enim Galatas illâ à Christianismo ad Judaismum relapsus exprobratione offenderet, & prorsus à se alienaret, mirificè illam cōmendatione singularis & summæ affectionis eorum erga se temperat, ut omninò Apostolum ipsis optimè velle, & nihil nisi salutem eorum sitire, persuasum habeant. Exemplum hoc ministris verbi imitandum est, ut ita suas redargutiones & exhortationes moderentur, ne auditorum animi nimium exulcerentur, sed potius aliud nihil, quàm suam salutem & ædificationem quæri intelligant. Hoc est, quod Apostolus ait: Servum Domini nō oportere pugnare, sed placidum esse erga omnes, propensum ad docendum, cum mansuetudine tolerantem malos, erudientē eos, qui obfistunt, si quando det illis Deus pœnitentiam ad agnoscendum veritatem, & respiscāt è Diaboli laqueo, capti ab eo ad ipsius voluntatem, 2. Tim. 2.

N

II. Non

II. Non decet auditores verbi officii humili specie, contemptu, nec tentationibus ministrorum verbi, sicut hoc nomine Galatas commendat Paulus, quòd, cum ipse per infirmitatem evangelisaverit, non spernati sint, nec respuerint ejus in carne tentationes. Decet potius illos audire præpositos, & magnificere ob authorem Deum, cujus legatione funguntur, & in verbo verbi authorem, in auscultandis concionibus sacris, & non in personam ministrum tueri. Ita Philippenses commendat, quòd, que adeò à doctrina Evāgelii variis afflictionibus Pauli deterriti non sint, ut potius Dei dono idem certamen sustinere non veriti, quale viderint in ipso, & adhuc audierint in ipso, *Philip. 1.* Quòd igitur Timotheo suo scribit Paulus, ne te pudeat testimonii Domini nostri, neq; te pudeat mei, qui sum victus illius, sed esto particeps afflictionū Evangelii, juxta potentiam Dei, *2. Tim. 1.* Id nobis omnibus dictum sit.

III. Exemplo Galatarum discant auditores ministros Ecclesiæ debito honore, & reverentiā prosequi. Illi Paulum ut angelum Dei, & ut Dominum Christum Jesum exceperunt. Et sanè verè sunt ratione officii sui legati & angeli Dei exercituum, (*Malach. 3.*) Quorum labia custodiunt scientiam, qui legatione Christi nomine funguntur, tanquā  
Deo

Deo obsecrante per ipsos, 2. Cor. 5. Deinde  
ratione ministerii sui, cum non sua somnia  
& commenta, sed Christi sermonem annun-  
tiant, ut ipse Christus Jesus excipiendi & au-  
diendi sunt, sicut id Dominus præcepit: Qui  
vos audit, me audit, qui vos contemnit, me  
contemnit, *Matth. 10.*

Præterea insigne Encomion & testimo-  
nium est, quod Apostolus reddit Galatis:  
*Quod si fieri potuisset, oculos suos effossos ipsi, ut  
Christi servo, dedissent.* Jam autem his extre-  
mis exulceratissimis temporibus, in magno  
contemptu sunt servi Dei, dum homines nõ  
solum illorum conciones contemptui ha-  
bent, & ministerium respuunt, sed etiã mul-  
tis, si illis oculos eruere possent, voluntas  
aud deesset, usq; adeò, ut etiam vilia & satis  
modica stipendia annua illis inuideant. Hoc  
servorũ Dei contemptu ipse Dominus con-  
temnitur, qui contemnentes se contemnet,  
ut scriptũ est 1. *Sam. 2.* At veri Christiani sibi  
dictum putent, quod Paulus 1. *Tim. 5.* præci-  
pit. Qui benè præsumt Presbyteri, duplici  
honore digni habeantur, maximè qui labo-  
rant sermone & doctrina. Qui ita verbum  
Dei amant, ministerium fidelium Ecclesiæ  
Pastorum magnificiunt, & ipsos ministros  
debito honore prosequuntur, eorum ma-  
gnam hinc Apostolus testatur esse beatitudi-  
nem.

IV. Non decet auditores verbi divini odii & indignationis flammam adversus fideles Christi præcones concipere, sicut Paulus hic Galatas hoc nomine redarguit, cum inquit: *Num inimicus vester factus sum, verum loquens vobis?* Cùm enim ita adversus serios redargutiones, & prædicationem penitentia spiritus compunctionis exagitantur, contra fidos Christi servos exardescunt, & consilium inopis, ut *Psal. 14.* scriptum est, confundunt, tum Dei consilium adversus se ipsos contemnunt, ut de Scribis & Phariseis testatur Christus *Luc. 7.* Inde verò certissime tandem reprobatio cõsequitur, sicut de primo mundo, contemnente fideles admonitiones Noach præconis Justitiæ, Dominus ait *Genes. 6.* Non disceptabit spiritus meus cum homine in seculum, eò quòd sit etiam caro. Ita Saulem reprobantem sermonem Domini, sibi à pio Samuele annunciatum, ipse Dominus etiam reprobavit, ut de eo Scriptura testatur *1. Sam. 15.* Non ultra vidit Samuel Saulem usq; ad diem, quo mortuus est: quòd quid aliud est, quàm Saulem odio Samuelis non amplius visitasse conciones ejus? Tandem verò mortuo Dei famulo in angustias reductus & reprobus consulere cœpit Pythonissam, imò ipsum Diabolum audire sategit, *1. Sam. 28.* Caveamus itaq; ne loquentibus nobis veritatem, fiamus inimici, &

& insurgentibus contra pios ministros ac-  
ignationis flammas, quod 2. *Thessal.* Paulus scribit: Pro eo,  
ti præcones concipient, quod dilectionem veritatis non receperunt,  
ilatas hoc nomine reprobant, hoc ut salvi fierent, propterea mittet illis  
tum inimicus vester factus, efficaciam illusionis, ut credant mendacio,  
bis? Cùm enim ita ad iudicentur omnes, qui non crediderunt  
ones, & prædicationem veritati, sed approbârunt injustitiam.

V. De zelo falsorum Doctorum, qui sui  
compunctiois exarsit, compendii, commodi & honoris causa, o-  
hristi servos exardescunt, ni studio incumbunt in hoc, ut seducant  
pis, ut *Psal.* 14. Scribæ omnes à veritate in errores, & à veris Apo-  
am Dei consilium amittunt, ut de Scribis & Phari-  
nt, ut de Scribis & Phari-  
istus *Luc.* 7. Inde approbatur, quod  
probatio cõsequitur, sed excludere vos volunt. Hi scilicet non au-  
o, contemnerentur, sed quæ ipsorum sunt. E-  
ach præconis iudicium, usmodi zelum habuerunt Scribæ & Phari-  
Non disceprantur, sæi, de quibus *Matth.* 23. Dominus ait: Væ  
ne in seculum, et vobis Scribæ & Pharisæi, quia circumitis  
vilem reprobant, mare & aridam, ut faciatis unum *θεσίλυ-*  
di à pio Samue-*τον*, & cùm fuerit factus, facitis eum filium  
nus etiam repro-*gehennæ*, duplo magis, quàm vos estis. Idem  
estatur 1. *Sam.* 17. fervor in falsis Doctoribus est, ad seducen-  
ilem usq; ad dier-*dos* simplices à sana doctrina. At cõtra hanc  
quid aliud est, quam perversam Zelotypiam falsorum Doctorum  
on amplius videri-*pii* auditores alium zelum sibi commenda-  
em verò mortuo de-*tum* habeant, nempe fervorem & constan-  
edactus & reprobus-*tiam* in semel agnita veritate perseverandi  
onissam, imò ipsam Do-*semper*, nec tantùm dum fideles Doctores  
git, 1. *Sam.* 28. Cavemus coram ipsis adsunt, quem Paulus ipsis com-  
s nobis veritatem, framu-

mendat his verbis: Zelum habere bonum est in re bona semper, & non tantum dum præsens sum apud vos. Quo pertinet illa admonitio Apostolica, 1. *Joh.* 2. Vos igitur, quod audivistis ab initio, in vobis permaneat, & *Rom.* 16. Obsecro vos fratres, ut consideretis eos, qui dissidia & offendicula contra doctrinam, quam vos didicistis, gignunt & declinetis ab illis. Nam qui ejusmodi sunt, Domino Jesu Christo non serviunt, sed suo ventri, & per blandiloquentiam, & assentationem decipiunt corda simplicia. Quia verò Satan indefesso studio per sua organa falsos Doctores hoc agit, ut fideles à sinceris Doctoribus & Christo ipso excludat, opus est, ut illi semper prætendant verbum vitæ, & orent Dominum, ut ipsos spiritu suo regat, & ducat in via æterna, & in ipsis opus cæptum confirmet, usque ad diem plenæ redemptionis.

#### IV. PARS CAPITIS IV.

##### *Filioli mei, &c.*

Sequitur quarta pars capituli, in qua captans primùm, blandissimis verbis, benevolentiam, Galatis statum & conditionem Judæorum sub legis servitute, & Christianorum per Christum ab ista servitute liberatorum, allegoriâ Agar & Sara, Ismaëlis & Isaci illustrat, ut illos ad libertatis Christianæ præstantiam considerandam, & firmiter retin-

nendam revocet: *Filioli mei, &c.* Captaturus benevolentiam suam maternam, & singularem erga ipsos amorem, affectionem & studium verbis patheticis exprimit, ad hoc, ut ipsos ab erroribus in viam rectam reductos, Christo lucrifaciat. Appellat illos blandè *filiolos, quos iterum parturiat*, assumens matris affectum & vocem, quasi dicat: O dilectissimi Galatæ, quos, sicut mater dulcissimos filios complector, vos olim per meum ministerium Christo renati fueratis, & ad veram cognitionem Dei & salutis adducti: At, proh dolor, à Pseudoapostolis vos perditè deperguntibus à veritate in errorem seducti estis periculosissimum, ut Christum amiseritis, ejusque forma & vera agnitio ex animis vestris deleta sit, nunc autem iterum instar matris vos parturio, id est, hoc summis nixibus & laboribus ad modum parturientis matris ago, *ut formetur Christus in vobis*, id est, ut forma, vultus & imago Christi vobis iterum imprimatur. Breviter, labores & nixus Pauli huc tendunt, ut Galatas, in quorum animis vera agnitio Christi per falsam doctrinam Pseudoapostolorum oblitterata fuerat, ad salutarem ejus agnitionem reducat, ejusque tanquam unici Sponsi sui amore accendat & impleat. Addit autem votum: *Vellem autem presens esse apud vos nunc, & mutare vocem meam, quoniam consilii inops sum in vobis.*

Adhuc retinet Apostolus affectum matris. Quemadmodum enim mater filiolos suos jam blandiusculis, jam duriusculis verbis, prout educatio id postulat, alloquitur: Ita S. Apostolus etiam optat, coram adesse Galatis, ut singulorum captui sese docendo, obsecrando, admonendo & increpando, prout res ipsa exigere videatur, accommodare possit, quod per literas non ita commodè fieri queat. Voti hujus ratio hæc est: *Quia inops consilii sum in vobis*, id est, dubius sum, quomodo vos alloqui per literas debeam. Timeo enim, ne vel quosdam lenius compellans quicquam proficiam, vel durioribus verbis utens quosdam magis à me, vel à veritate Evangelii potius alienem.

*Dicite mihi, &c.*

Jam itaq; allegoria jucunda depingit statum Judæorum sub servitute legis constitutorum, & in lege Justitiam quærentium, & Christianorū ab illa servitute liberatorum, qui sola fide in Christum sine operibus legis justificantur, conditionem liberam. Neque verò mens Pauli est, ab allegoria solidū argumentum petere, sed potius rem jam firmis argumentis roboratam similitudine illustrare. Quanquā interim non parū momenti ad intentionem Apostoli probabiliter confirmandam habet, quod Ismaël licet circumcisis, & secundum carnem Abraha-

mi filius, non tamen cum Isaaco in participatione paternæ hereditatis pervenit. Quare olim præfiguratum fuit, ad participationem cœlestis hereditatis circumcisionem non esse gentibus necessariam. *Dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem non auditis? Alloquitur eos, qui in legis operibus collocabāt Justitiam & salutem. Illos enim dicit, sub lege esse velle. His ex lege, id est, ex libris Moſis, qui legis nomine veniunt, nempe ex Genesi similitudinem, & exemplum ob oculos proponit. Quodnam est illud? Scriptum est enim, in Genes. 21. Quod Abraham duos filios habuit, unum ex ancilla, nimirum Ismaëlem ex Agar ancilla Ægyptiaca, & unum ex libera, Isaacum ex Sara. Sed qui est ex ancilla, secundum carnem natus est, id est, secundum communem & usitatū naturæ cursum, citra miraculum & promissionem singularem. Qui verò ex libera, nempe Sara (natus est) per promissionem. Is est Isaacus filius liberæ Saræ, per promissionem, quæ promissio erat, quod ipse senio confectus ex Sara, quæ nō tantum naturā sterilis, sed jam ob senectutem etiam emortuo & infœcundo erat corpore, habiturus sit filium, quam promissionem fide Abrahamus apprehendit. Hæc, quæ ex Genesi adducit, per allegoriam, inquit, dicuntur, id est, in his verbis sensus allegoricus est, vel hæc historia aliquid aliud latenter significat.*

Nam hæc sunt duo Testamenta, unum quidem à monte Sina, in servitutem generans, quæ est Hagar. Sententia hæc est: Quemadmodum Abraham in domo sua duas habuit uxores, unam servã, quæ Agar, ex qua genuit Ismaelem naturali ratione, citrà miraculum & promissionem, & alteram liberam Saram, ex qua genuit Isaacum filium promissionis: Ita Deus duo condidit testamenta, vel pacta unum dedit è monte Sina populo Israëlítico, Exod. 19. Quod per Hagar indicatur, & generat in servitutem. Lex enim non liberat à peccato, morte & maledictione, non dat spiritum libertatis, sed facit homines serviles, & timidos, dum cogit, terret, maledicit, & proinde quærentibus in illa Justitiam & vitam, Justitiam & vitam non confert. Addit autem in parenthesi Apostolus: *Agar enim Sina mons est in Arabia*, id est, Agar analogiam habet cum monte Sina in Arabia extra terrã promissam sita, ubi lex, quæ cœlestem hæreditatem non confert, promulgata est. Præterea subjicit: *Confinis autem est illi, quæ nunc est Jerusalem*, in Græco est *ουσιχη*, quod significat, ex analogia respondet illi, quæ nunc est Jerusalem, nempe terrenæ, in qua habitavit populus legi serviens, cui lex cum suis ceremoniis data fuit, jugum scilicet humeris ejus importabile. Post parenthesin subjungit: *Servit autem cum filiis suis*, nempe Agar illa cum

cum Ismaële, id est, populus legis est servilis ob terrores & coactionem legis, quia lex nõ liberat à peccato, nec confert spiritum libertatis.

At quæ est ratio populi Novi Testamenti? Respondet Paulus: *Quæ autem sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrum.* Hic est populus Novi Testamenti, per novum fœdus Evangelii genitus, omnes nimirum credentes in Christum Jesum, qui filio Dei liberante verè liberi sunt, qui non acceperunt spiritum servilem ut timeant, sed spiritum libertatis, spiritum adoptionis, per quem clamant, Abba Pater, qui justificati fide pacem habent. Hic populus dicitur Jerusalem, quæ sursum est, quia supernè renascitur ex Deo, *Joh. 3.* cujus *πλῦτὸμα* est in cœlis, *Philip. 3.* *Hæc est mater omnium nostrum;* Hæc enim per suum ministeriũ virtute Dei, parit Deo spirituales filios, per semen videlicet incorruptibile verbum Dei. Id quod prophético testimonio ex *54. cap. Esaiæ* desumpto Apostolus illustrat, quod hunc in modũ se habet: *Scriptum est enim: Latere sterilis, quæ non parit, erumpe* (scilicet in laudem) *& clama, quæ nunc parturis, quia multi liberi deserta magis, quàm ejus, quæ habet virum.* Videt autem Propheta in spiritu incrementum Ecclesiæ Novi Testamenti ex paucis reliquiis Judæorum (reliqua multitudine ob

con-

contemptum Christi ejusq; Evangelii rejecta) & gentibus collecta. *Qua erat sterilis.* Gentes enim idololatriæ immerse, & in peccatis mortuæ, reliquæ autem illæ ex Judæis propriis meritis vitæ æternæ destitutæ, & præterea contempte, sterili Saræ primùm similes erant, unde electio & adoptio illius Ecclesiæ merè erat gratuita. Hanc igitur, quæ deserta instar viduæ videbatur, cum Prophetâ spiritu Dei illuminatus videat innumens filiis spiritualibus augeri, præ Synagoga ob ingratitudinem rejecta, quæ de Deo marito gloriabatur, & ob externas prærogativas insolens erat, exhortatur ad *δοξολογίαν* & spiritualem exultationem. Hic populus gratis electus, adoptatus & per fidem in Christum justificatus, per Isaacum filium promissionis in domo Abrahamæ adumbratus fuit, sicut typum applicat ad suum institutum Paulus, ajens: *Nos autem fratres secundum Isaacum promissionis filii sumus*, id est: Quemadmodum Isaacus ex promissione divina Abrahamo natus, hæres fuit in domo ejus: Ita nos etiam filii Dei sumus per gratiam, secundum promissionem Evangelii & bonorum cælestium hæredes. Porro excurrens Apostolus typum ulterius extendit: *Sed quemadmodum tunc, qui secundum carnem natus erat, persequabatur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc, hoc est, quemadmodum Ismaël, qui secundum*

dum carnem sine promissione natus erat, persequabatur Isaacum illusionibus suis, *Genes. 21.* qui non tantum secundum promissionem natus erat Abrahamo, sed etiam spiritu Dei renatus: Ita & nunc hypocritarum justitiarum, in lege quærentes Justitiam, persequuntur spirituales Abrahamæ filios, in solo Christo Justitiam quærentes, quibus verbis notant Pseudoapostolos, urgentes circumcisionem & ceremonias legis, ut ad salutem necessarias, verorum Apostolorum & fidelium persecutores. Sed audi, qui sit persecutorum illorum veræ Ecclesiæ finis? *At quid dicit scriptura? Ejice ancillam & filium ejus, nequaquam enim hæres erit filius ancilla cum filio libera.* Cùm Sara videret Ismaëlem filium Abrahamæ esse illusorem, dixit Abrahamo: *Ejice ancillam hanc, & filium ejus, quia non hereditabit filius ancilla cum filio Isaaco, Genes. 21.* Quemadmodum itaq; Ismaël illusor, qui prærogativa carnis superbiebat, & circumciscus erat, in domo Abrahamæ manere, & hæres cum Isaac esse non potuit, sed ejectus est, ita etiam omnes, qui in carne, id est, carnali propagatione ex Abrahamo, circumcisione & operibus legis gloriantur, in illis salutem collocantes, ex regno cælorum excludentur, & ut hostes Ecclesiæ cælestium bonorum cum credentibus hæres esse non poterunt. Unde concludit Apostolus totum hunc locum.

*Itaq;*

*Itaq, fratres non sumus ancilla filii, sed liberi* id est, non sumus ex illo populo, qui sub lege esse, & ex lege justificari vult, sed ex illo, qui per Christum à legis maledictione & servitute liberatus, gratis fide in Christum justificatur, & hæreditatem cœlestem possidet.

*LOCI COMMUNES PARTIS*

*IV. Cap. IV.*

I. Quis pastorum Ecclesiæ affectus esse debeat erga commissum sibi populum, nempe paternus & maternus. Nam sicut parentes in hunc mundū liberos procreant, quos tenerrimè complectuntur & curant; Ita illi Deo per ministerium suum spirituales filios gignunt, quos tenerrimè debent complecti, & ad eorum captum pro re nata vocem mutare docendo, obsecrando, admonendo, increpando, & hoc unicè agere, ut Christi agnitio mentibus illorum imprimatur, sicut Apostolus suam maternam sollicitudinem pro Galatis testatam facit, cùm inquit: *Filioli, quos denuo parturio, donec formetur Christus in vobis.* Ita I. Cor. 4. ait: Non quo vos pudore confundam, hæc scribo, sed ut filiolos meos dilectos admoneo, & mox: Siquidem in Christo Jesu per Evangelium meum vos genui, sicut & in Epistola ad Philemonem scribit, se in vinculis suis Onesimum filium suum genuisse. Videant igitur illi, quibus ministerium Ecclesiæ commissum est, quæ sibi cum

incum-

incumbat pro grege fidei suæ commendato, nempe paterna prorsus & materna sollicitudo, quibus etiam pro illo ratio erit reddenda Archiepiscopo & summo Pastori Christo Jesu.

II. De dignitate ministerii Ecclesiastici, quòd per illud Deo regeneramur, sicut Paulus de suo ministerio testatur: *Quos denuò parturio*: Fit autem hoc per Evangelium 1. ad Cor. 4. Ita 1. Cor. 3. ministerium commendat, inquit: *Quis est Paulus? Quis autem Apollo? Nisi ministri per quos credidistis.*

III. Lapsos, ubi redeunt, unde exciderunt, in Ecclesiã recipiendos, docet Paulus, lapsis Galatis non occludens fores Ecclesiæ, sed maximè aperiens. Quod contra Novatianos tenendum est, qui semel post Baptismum lapsis, & pœnitentiã agentibus spem salutis præcidebant. Paulus incestuosum Corinthium conversum recipiendum præcipit, 2. Cor. 2. & Chrysostomus rectè pronunciat, *χιλιάκις μετανοήσας εἰσελθε*, id est, millies agens pœnitentiam ingredi.

IV. De allegoriis, quibus facta & historiæ ad spiritualem aliquem sensum traducuntur, ut quod Jonas in ventre ceti tres dies & noctes contentus, & postea redditus sepulturæ, & resurrectionis Christi typus fuit, & serpens æneus suspensus, qui remedium contra morsus serpentium ignitorum fuit,

repræ-

repræsentavit Christum in cruce exaltatum, qui remedium est contra lethale vulnus veteris serpentis & Draconis, item quod Hagar cum filio Ismaële pactum legis, & populi in lege quærentis Justitiam figura est. Sara cum Isaaco pacti novi, id est, Evangelii & credentium.

Notandum autē, allegorias per se ad confirmationem rei robur non habere, sed rem satis confirmatam depingere & illustrare, ut firmiter mentibus inhæreat.

Deinde modum esse debere in allegoriis. Si enim omnia in allegorias transformantur, tum literalis sensus amittitur, scripturæ autoritas labefactatur: & hostibus Evangelii, qui foris sunt, calumniandi verbum Dei occasio præbetur.

V. Discrimen veteris & novi pacti. Illud, quia à nemine perfectè servatur, veram libertatem conferre non potest, sed generat in servitutem, relinquens homines serviles, cogens, terrens, maledicens, idè antiquandum erat, *Hebr. 10.* Novum autem pactum, id est, Evangelium cōfert vitam, libertatem, spiritum adoptionis, sicut Dominus testatur *Jerem. 31.* Ecce dies veniunt, dixit Jehova, & feriam cum domo Israël, & cum domo Juda fœdus novum, non secundum fœdus, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de

e terra Ægypti, quia ipsi irritum fecerunt  
 actum meum, & ego dominatus sum eis,  
 dixit Jehova. Sed istud est fœdus, quod feriã  
 um domo Israël post dies istos, dixit Jeho-  
 a: Dabo legem meam in medio eorum, &  
 in corde eorum scribam (videlicet per Spi-  
 ritum sanctum) eam, & ero eis in Deum, &  
 vos mihi erunt in populum, &c. & Rom. 8. sic  
 scribit Apostolus: Lex spiritus vite per Chri-  
 tum Jesum liberum me reddidit à jure pec-  
 cati & mortis, & rursus: Non accepistis spi-  
 ritum servitutis ad timorem, sed accepistis  
 spiritum adoptionis, per quem clamamus,  
 Abba Pater.

VI. Ecclesia credentium non ex Adamo,  
 nec ex terra nata, sed est sursum Jerusalem.  
 Nata est enim è cœlo, id est, à Deo per incor-  
 ruptibile semen in æternum manentis verbi  
 Dei, 1. Pet. 1. Unde Joh. 1. legimus: Filii Dei  
 non nascuntur ex sanguinibus, nec ex volun-  
 tate carnis, neq; ex volûtate viri, sed ex Deo.  
 Deinde *πλήθυμα* ejus est in cœlis, Philip. 3.  
 Qua de causa credentes, quæ sursum sunt,  
 debent querere, ubi Christus est ad dextram  
 Dei sedens, superna curare, non terrestria,  
 Coloss. 3.

VII. Quæ sursum est Jerusalem, est ma-  
 ter omnium nostrum. Illa enim per ministe-  
 rium suum virtute Dei gignit Deo spiritua-  
 les filios; sicut prophético testimonio Apo-

stolus confirmat. At Romana Ecclesia non  
 per Evangelium Christi, sed per doctrinas  
 hominum & decreta Papæ, Satanæ filios  
 gnit, filios Dei & veræ Ecclesiæ persequitur,  
 trucidat, itaq; non est illa sursum Jerusalem,  
 sed è terra est, Synagoga Satanæ, habitatio  
 Dæmonum, & custodia omnis spiritus im-  
 mundi, *Apoc. 18.*

IIX. Cùm Apostolus ex loco Esaiæ allegat  
 rat Ecclesiæ, quæ deserta videtur in hoc m-  
 do, plures esse filios, quàm ejus, quæ habeat.  
 virum: Quæritur, quando assertio hæc curam  
 dicto Christi consistat, affirmantis *Matth. X.*  
*22.* Multi sunt vocati, pauci verò electi. Re-  
 sponsio: Apostolus cum Propheta confert  
 hic Ecclesiam ex reliquiis Judæorum & gen-  
 tibus collectam, cùm Synagoga Judæorum  
 ob ingratitude suam reprobata, ubi illæ  
 hanc multitudinem superat. Alias, si reliquæ  
 multitudinem infidelium in mundo extraga-  
 Ecclesiam & hypocritarum in Ecclesia spe-  
 ctes, major est numerus reproborum, quàm  
 electorum. Nimis enim verum est, quod Do-  
 minus dicit *Matth. 7.* Lata est & spatiosa  
 via, quæ abducit in exitium, multiq; sunt,  
 ingrediuntur per illam, & angusta est &  
 stricta via, quæ abducit ad vitam, & pauci  
 sunt, qui inveniunt illam. Videamus igitur,  
 ut in troeamus per arctam viam, & filii libera-  
 jus, quæ sursum est Jerusalem, simus.

IX. Non tantum esse filios Abraham fideles secundum carnem, sed omnes, quotquot in Christum semen Abraham credunt, & in ipso benedictionem querunt, sive sint Judei, sive gentes. Hic enim Apostolus de se & Galatis testatur: *Nos secundum Isaac filii promissionis sumus, & paulo post: Nos igitur non sumus ancilla filii, sed libera.* Ideo enim Abraham patrem multitudinis dicitur, quia in ipsius semine benedicuntur omnes gentes terrae. Qui itaque ex fide sunt, hi benedicuntur cum fidei Abraham, sup. 3. cap.

X. De cruce & persecutionibus, quas Ecclesia vera a coetu malignantium, hypocritis justitiaris patitur. Quae in Ismaele persecute Isaacum adumbratae sunt, teste hic Apostolo. Sicut enim Ismael circumcissus sine dubio tumens prerogativa primogeniturae, illusit Isaaco filio promissionis: Ita Synagoga Hypocritarum & justitiariorum tumens externis prerogativis, titulo Ecclesiae, potentia, opinione sanctitatis, persequitur hostiliter veram Ecclesiam, sicut praedixit Dominus *Johan. 16.* Alienos a Synagogis vos facient: sed veniet tempus, ut quisquis interficiet vos, videatur cultum praestare Deo: & Paulus *2. Tim. 3.* sed & omnes, qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Id verum esse, historia ac experientia omnium temporum in hodiernum

usq; diem locuples testis est, ut veniat super  
persecutores illos omnis sanguis, effusus  
per terram à sanguine Abel iusti, usq; ad lan-  
guinem Zachariæ filii Barachiz, imò ultimè  
Martyris, propter testimonium Jesu truck-  
dati.

Verùm insignis etiam Ecclesiæ consolatio  
proposita est in typo Ismaëlis & Isaac.  
Nam quemadmodum Agar ancilla cum fi-  
lio Ismaële illusore de domo Abrahamæ e-  
jecta fuit, nec potuit ancillæ filius hæres esse cum  
filio promissionis. Ita etiam hypocritæ  
Justitiarum & sanguinarii persecutores sancto-  
rum tandem è domo Dei, id est, regno celo-  
rum, exortes cœlestis hereditatis, ejicientur.  
Foris enim manebunt canes, & venefici, &  
impudici, & homicidæ, & idolis servientes,  
& omnis qui amat & facit mendacium, *A-*  
*pocal. 22.* Quorum pars erit in stagno arden-  
te igni & sulphure, *Apoc. 21.* Contra autem  
filii Dei hæredes sunt Dei, & cohæredes  
Christi, *Rom. 13.* Quos ut consortes afflictio-  
num Christi gaudere jubet Petrus Aposto-  
lus, ut in revelatione etiam gloriæ ejus gau-  
deant exultantes, *1. Pet. 4.*

XI. Qui ex lege volunt justificari, exci-  
dunt cœlesti hereditate, sicut illorum figura  
est Ismaël, è domo Abrahamæ ejectus. Hoc est,  
quod Paulus dicit *Rom. 9.* Israël, qui sectaba-  
tur legem Justitiæ, ad legem Justitiæ nõ per-  
venit

enit: propter quid? Quia non ex fide, sed  
nquam ex operibus legis.

XII. Regnum Dei tanquã hæreditatem  
redentibus obtingere ut filiis, & nõ ut mer-  
cedem servis deberi, præsens hic locus testa-  
tur. Quia enim in Christo Jesu ante jacta  
mundi fundamenta elegit illos Deus, qui  
pædestinavit illos, ut adoptaret in filios per  
Christum Jesum, secundum beneplacitum  
pluntatis sue, in quo Christo obsignati sunt  
piritu sancto, qui est arrhabo hæreditatis,  
orum in redemptionem acquisitæ posses-  
sionis, *Ephes. i.* ideò, ut filii hæredes sint in  
regno Dei.

## CAPUT V.

## ARGUMENTUM CAPITIS QUINTI

*Ex his quæ dicta sunt, deducit Apostolus ex-  
hortationem ad retinendam libertatem Chri-  
stianam, quam argumentis gravibus vindicat,  
additã seriã comminatione in Pseudoapostolos  
seductores, qui falsa doctrina illam evertunt.*

*Deinde monet, ne libertate illa abutantur ad  
carnis licentiam, sed in charitate alii aliis ser-  
viant.*

*Tertiò, exhortatur ad vitam spiritualem, &  
mortificationem carnis.*

*Quartò, antithesi recenset opera carnis & spi-  
ritus, ab illis additã gravi comminatione, de-  
hortans, hæc autem argumentis commendans.*

## PARAPHRASTICA EXPLICATIO

## Partis I. Capitis V.

*In libertate igitur, &c.*

Ex his quæ dicta sunt exhortationem instituit Paulus ad Galatas, ut in libertate, in quam eos Christus asseruerit, persistant, neque auscultent Pseudoapostolis, ut se rursus ad circumcisionis aliarumq; legis ceremoniarum observationem adigi patiantur. *In libertate igitur, quâ nos Christus liberavit, stare.* Hæc est libertas illa, quod Christus nos à jure peccati & mortis, à maledicto legis redemit, ut 3. & 4. præcepimus, & præterea à servitute legis. *In hac, inquit, libertate persistite, & ne rursus jugo servitutis implicamini.* Nam Pseudoapostoli hoc moliebantur, ut Galatis persuaderent, illos, nisi circumciderentur, & alios legis ritus observarent, salvari non posse, atq; ita illos tanquam boves jugo servitutis astringere & alligare satagebant. At ne id fieri permittant, argumentis suasoriis libertatem Christianam vindicat. *Quænam illa? Ecce ego Paulus dico vobis, quod si circumciderimini, Christus vobis nihil proderit.* Ut hoc argumentum ab effectu circumcisionis ductum intelligamus, notandum, Paulum non loqui hic de circumcisione, ratione sui proprii usus in Veteri Testamento, ad quem à Domino instituta erat, ut nimirum esset signaculum Justitiæ fidei in credentibus, *Rom. 4. usque ad*

Chri-

Christum mortuum & resuscitatum; neque  
iam ea ratione, quatenus ad tempus per-  
mittebatur & tolerabatur in prima tenera  
ecclesia, donec doctrina Evangelii de Chri-  
sto & circumcisionis aliarumque legis cere-  
moniarum abrogatione satis innotesceret,  
& Judæi illa permissione tantò facilius ad fi-  
dem Christi adducerentur, qua ratione Pau-  
lus Judæis fiebat tanquam Judæus, & Timo-  
themum circumcidi sinebat, *Act. 16.*

Sed intelligere illum circumcisionem ex  
sensu plerorumq; Judæorum & Pseudoapo-  
stolorum, qui sentiebant & docebant, cir-  
cumcisionem esse causam salutis meritoriam,  
dicentes: Nisi circumciderentur gentes, sal-  
vari illas non posse, *Act. 16.* Qui itaq; sic Ju-  
stitiam & salutem in circumcisione (per quã  
et *Concordia* etiam alias legis ceremonias  
intelligit Paulus) collocabant, illis Christus  
nihil profuturus erat. Ea igitur argumenti  
vis est.

Quicquid reddit Christum inutilem, id  
meritò devitandum est. Sed circumcisio cum  
opinionem cultus, necessitatis & meriti usur-  
pata, facit Christum inutilem: Ergo vitanda.

At objiciat forsitan protervus quispiã Pseu-  
doapostolus vel Judæus. Quid tum? Mihi er-  
go sufficiat extra Christum circumcisio le-  
gisq; ceremoniæ ad Justitiã & salutem. Huic  
objectioni masculè respondet Paulus: *Testor*

autem rursus omni homini, qui circumciditur, quod debitor est totius legis. Quibus verbis dicat, fieri non posse, ut quis per circumcisionem Justitiam & salutem consequatur, nisi totam simul legem observet plenè, quod est corruptæ hominis naturæ impossibile. Ubi autè ratio propositionis hujus constat. (Qui in circumcissione querit Justitiam, is totius legis servanda debitor est,) Tenendum: Circumcisionem esse signum fœderis illius, quod Dominus cum Abrahamo & posteritate ejus inivit: Ego ero Deus tuus & tementis tui post te, *Genes.* 17. Hoc fœdus comprehendit perfectam obedientiam legis & omnium mandatorum Dei, ab Abrahamo & posteritate ejus præstandam. Hinc patet, eos, qui extra Christum ejusq; plenam obedientiam pro nobis legi præstitã, circumciduntur, seiplos ad perfectam legis obedientiam obligare. Quam cum non præstent perfectè, ex ore Dei maledicti sunt, sicut 3. cap. docuit, & circumcissio eis ad salutem nihil confert. Quia verò Galatæ ex suggestionem falsorum Doctorum nolebant videri Christum rejicere, vel pro nihili habere, sed cum Christo salutis auctore circumcisionem & legis opera, ut *Cassiodorus*, id est, concausas, conjungere, gravi asseratione Apostolus hanc impiam illorum opinionem retundit, inquit.

*Vacui facti estis Christi, qui in lege justificamini,*

*mini, gratiâ excidistis*, prorsus hoc idem sensu est cum eo, quod sub finem 2. cap. dixit, si per legem est Justitia, Christus frustra mortuus est. Si enim Christus est totalis causa salutis, tum circumcisio & legis opera Justitiæ & salutis causa, nec ex toto, nec ex parte esse possunt: Et rursus: Si salus nostra nobis ex sola Dei gratia constat, ergo non ex circumcisione legisq; operibus. Gratia namq; aut tota recipitur, aut tota rejicitur. Hinc manifesta est ratio Apostoli: *Vacui estis Christi, qui in lege justificamini*, id est, qui in lege ejusque operibus justificari vos gloriâmini: *Gratiâ excidistis*. Unde & hoc conficitur, quia legem perfectè non servant, illos esse execrabiles.

Porro Justitiæ huic operum falsæ opponit veram Justificationis rationem: *Nos spiritu ex fide spem Justitiæ expectamus*, per spiritum intelligens Spiritum sanctum, qui accendit in cordibus nostris fidem, & vivam fiduciam in solo Christo ejusque merito acquiescentem: *Ex hac fide, inquit, spem Justitiæ expectamus*: Per spem Justitiæ intelligit per Metonymiam speratâ Justitiam, perfectam scilicet illam, quâ futurum est, ut in vita æterna ornemur ad voluntatem Dei sancti & justii, sine omni macula. Ut autem Paulus circumcisioni, non solùm omnem Justificationis vim & laudem penitus detrahat, sed ne

quidem locum in regno Christi relinquat, sicuti forsitan Galatæ potuissent obtinere, si maximè circumcisio non justificet, tamen illam tanquam exercitationem fidei in regno Christi admittendam, planè illam præputio exæquat, inquit: *nam in Christo Jesu neq<sub>3</sub> circumcisio quid valet, neq<sub>3</sub> præputium*, id est, tantum valet circumcisio, in spiritali regno Christi, quantum præputium & utrumque nihil. Quæ igitur, *inquit aliquis*, exercitia à suis requirit Christus? *Sed fides*, ait, *quæ per charitatem operatur*, quasi dicat, summa Christianismi est fides & charitas. Hæc Dominus à suis requirit, hæc valent in regno ejus, hæc ex gratia acceptat, & charitatem etiam tum in hâc, tum in futura vita compensare vult, non quidem vita æternâ ipsâ, (hæc enim donum Dei est per Christum Jesum, *Rom. 6. cap.*) sed in vita æternâ gloria. Idem prorsus Joh. Apostolus docet i. *Epist. 3.* cum ait: Hoc est præceptum ejus, ut credamus nomini Filii ejus Jesu Christi, & diligamus nos mutuo, sicut præceptum dedit nobis. Cæterum hoc dicto Apostoli abutitur Pontificii ad stabiliendū suum de Justificatione operū errorē, cum docent, nō tantum fidem, sed etiam charitatem ad Justitiam corā Deo consequendam valere & operari, urgentes imprimis illud, quod Paulus dicit: *In Christo Jesu neq<sub>3</sub> circumcisio valet, neq<sub>3</sub> præputium, sed*

*fides*

*fides per charitatem operans.* Ergo si nihil valet, nisi fides operans per charitatem, fides ad Justificationem non valet, nisi per charitatem & cum charitate. Respondeo: Quasi verò Apostolus sui oblitus justificandi vim charitatis operibus nunc adscribat, quam supra simpliciter illis detraxit, cum diceret 2. cap. Scimus, non justificari hominem operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, &c. Ut autem plenius hunc locum contra Papistarum cavillationes explicemus, sciendum, duas esse fidei *ἐνεργείας* & operationes, unam, quod confidit promissioni Dei, de gratuita peccatorum remissione, huic toto corde innixa; altera, quod per opera charitatis & beneficentiae, ut fructus, sese exerit erga proximū. Ratione primæ considerationis justificat fides, ubi cum Deo agit per se, sine cooperatione & adjumento charitatis, ulliusve alterius virtutis, intuens simpliciter & immediatè promissionem Dei, & in ea oblatam gratiam homini applicans. Ratione alterius operationis, quando non in Judicio Dei operatur, sed cum proximo agit, ad benefaciendum illi, non hoc per se agit immediatè, sed per charitatem. Itaq; fides per charitatem efficax est, non ad Justificationem corā Deo, sed ad bona opera exercenda erga proximū. Et aliud est, quod Apostolus dicit: *Fides efficax est per charitatem*, aliud quod Pontificii

assu.

assumunt de suo contra Apostoli mentem, fides operatur Justitiam & salutem per charitatem, cum potius fides justificet, fiduciam omnem in Christo collocando, & fiducia eius dilectionis se erigendo, qui dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis. Præterea hoc etiam facile largimur, imò ipsi etiã constanter docemus, fidem illam, quæ justificat, non esse otiosam & mortuam, sed vivam & efficacem per charitatem, ut illa particula operans per charitatem ad descriptionem & notionem fidei pertineat, etsi non per charitatem justificet, sed ut dictum, prima illa operatione, quæ est, Deum propitium in gratuita sua promissione, & Christum in suo merito intueri. Quod autem instant adversarii affirmantes, charitatem efficere, ut fides valeat, negamus hoc fieri. Sicut enim fructus non facit, ut arbor valeat & bona sit, ita nec charitas efficit, ut fides valeat, sed potius: quemadmodum arbor bona bonos fructus facit, & boni fructus indicant arborem esse bonam: Ita fides facit, ut charitas valeat, & Deo accepta sit, cum, quicquid non est ex fide, peccatum sit, *Rom. 14.* & opera charitatis notæ sint veræ fidei.

Verum, ut ad textum redeamus, postquam Apostolus ostendit, in regno Christi spirituali circumcisionem & præputium nihil valere, nunc Galatas ob suam à veritate

defe-

defectionem reprehendit, & in viam revocare studet: *Currebatis benè, quis vos impedivit, ne obediretis veritati?* Id est: Egregia in cognitione veritatis & veræ salutis, in solius Christi merito sitæ, initia & progressus habebatis. Quis verò seductor vos in medio cursu à veritate agnita avertit, ne in illa peristeretis? *Hac persuasio non est ex eo, qui vocat vos*, quasi dicat, quòd in medio cursu ab agnita veritate deflexistis, id vobis non suggestit Dominus, qui vos per me ad veritatis cognitionem vocavit, & adhuc ad resipiscentiam vocat, sed cacodæmon aliquis per sua organa Pseudoapostolos. Inculcat autem eis periculum, quod ex illo errore toti doctrinæ salutis & fundamento immineat, simul occurrens objectioni Pseudoapostolorum, qui Paulum calumniari poterant, ac si ob rem levis momenti turbas daret; siquidem non res tanti momenti sit, ob pacem & tranquillitatem circumcissionem & ceremonias quasdam legis retinere. At ille: *Parum, inquit, fermenti totam massam fermentat.* Simile ductum est à fermento. Quemadmodum enim parum fermenti mixtum multæ farinæ totam massam & consersionem fermentat: Ita periculum est, ut illo errore, quo cum Christi merito circumcissionem & opera legis in operatione salutis conjungebant, tota doctrina corrumpatur, & ipsum salutis fundamentum

damentum subvertatur, licet ille prima facie levis videatur, sicut autem dixit, errorem istam huc tendere, ut Christus reddatur inutilis. Mitigat autem Paulus reprehensionem suam expositione suæ de ipsis fiducia, hunc in modum: *Ego confido in vobis in Domino*, id est, per Domini gratiam & virtutem in vobis per ministerium efficacem, *vos nihil aliud sensuros esse*, hoc est: Vos non diversam ab hac, quam vobis propono, doctrinam amplecturos. At è contrario gravem comminationem in Pseudoapostolos, qui ipsos in simplicitate sua perturbent, & in devia abducant, vibrat: *Qui verò conturbat vos, iudicium suum*, scilicet condemnationis, *portabit, quisquis fuerit, verbo portandi pœnæ gravitatem & magnitudinem innuens*. Ne verò Galatæ existiment, Paulum ex φιλοεικεία, & contentionis studio impugnare illam de circumcissionis & operum legis necessitate doctrinam, quæ aliàs facile ferri possit, persecutiones illas, quas ob illam veritatem Evangelii puram perpetiatur, ipsis ante oculos, proponit, à quibus immunis esse queat, si circumcissionem prædicet: *Ego autem fratres, si circumcissionem adhuc prædicō, quid adhuc persecutionem patior?* Quasi dicat: Si circumcissionem cum Pseudoapostolis prædicare & docere adhuc velim, cur tot persecutiones à Judæis patior, qui hoc ipso nomine me persequuntur, quod circum-

circum-

circumcisionem abolitam esse Christianis, doceo: Ergo evacuatum est scandalum crucis, hoc est: Ob confessionem Evangelii de Christo crucifixo crucem ferre cogor, persequentibus & vexantibus me Judæis, quâ cruce multi offenduntur, & abhorrent à puritate Evangelii; illa crux & simul unâ offendiculum inde ortum cessaret & tolleretur, si circumcisionem Christianis necessariam esse docerem.

Tandem verò in gravem imprecationem erumpit, quâ falsis Doctoribus exterminationem è regno Dei non carnali affectu, sed magno zelo spiritus imprecatur: *Utinam, etiam abscindantur, qui vos cõturbant.* Imprecatur, ut abscindantur à Deo & ejus communionem, qui conturbent, id est, è statu suo dimoveant Galatas. Hoc enim est *αἰσχολεῖν*. Cùm etenim Galatæ antea in veritate agnita tranquillam habuissent conscientiam, jam perversa illa doctrina impostorum ex illo statu tranquillitatis dimoveri ait, & inquietos reddi. Ac præterea gloriam Dei obscurari, cujus zelo flagrans Apostolicum pectus, obstinatis hostibus veritatis interitum imprecatur.

### LOCI COMMUNES PARTIS

#### I. Cap. V.

I. De libertate Christiana, quæ consistit in liberatione à jure peccati & mortis, à maledi-

ledictione legis, à legis servitute, ritibus Mo-  
saicis & traditionibus humanis, sicut antea  
aliquoties dictum est, de qua Dominus *Joh.*  
*8. cap.* ait: Si vos Filius liberaverit, verè liberi  
eritis. In hac libertate, qua Christus nos libe-  
ravit, standum, neq; illa ulla ratione adverfa-  
riis veritatis prodenda est.

II. Cùm Paulus vult, ne Christiani libe-  
rati à servitute legis, rursus jugo servitutis  
implicentur, monemur, nos multò minus,  
qui jugum Antichristi & humanorum ejus  
decretorum & traditionum excussimus, illi  
servitutis jugo implicari debere. Cùm enim  
liberi sint filii Dei, non debent servi homi-  
num fieri, colentes Deum doctrinis, quæ  
sunt mandata hominum, quibus frustra col-  
litur, *Matth. 15.* sed in libertate, qua Christus  
ipso liberavit, stare.

III. Notandæ sunt gravissimæ sententiæ  
Apostoli in eos, qui per circumcisionem &  
opera legis justificari volunt, sive ex toto, si-  
ve ex parte: *Si circumcidamini, Christus vobis  
nihil proderit, Christi facti estis vacui, qui in le-  
ge justificamini, gratiâ excidistis.* Quæ voces  
etiam in nostri temporis Justitiosos dictæ  
sunt, qui non tantum elemosynis aliisque o-  
peribus legis, sed etiam electitiis suis operi-  
bus, ut sunt missa, peregrinationes, flagella-  
tiones, vita ad certam regulam Francisci, Be-  
nedicti, &c. transacta, rigide justificari vo-  
lunt.

lunt. Contra hos multò fortius torquentur illa fulmina Pauli, quòd Christus nihil illis proffit, Christi sint facti inanes & gratià exciderint. Contra Justificationem operum validissima est Pauli sententia, *Rom. 11.* Quod si per gratiam, non jam ex operibus, quandoquidem gratia jam non gratia, &c. Cùm autem ipsi etiam renati per gratiam justificentur, vi oppositionis illius Apostolicæ, consequitur, nec illos operibus justificari.

IV. Notandum, circumcisionis fœdus includere totius legis perfectã obedientiam. Sicuti tum hic ait Apostolus: *Contestor omnẽ hominem, qui circumciditur, quòd debitor est totius legis servandæ, tum ad Rom. 2.* Circumcisio quidem prodest, si legem servaveris; quod si transgressor legis fueris, circumcisio tua versa est in præputium.

Hinc quæritur non immeritò, cùm nemo etiam ex Patribus olim legem perfectè præstiterit, neq; ipse Abraham, num circumcisio eis nihil profuerit? Responsio: Abrahamus & sancti Patres fide Christũ, & in Christo perfectam obedientiam legis apprehenderunt, & sic unius Christi obedientia justi constituti sunt, *Rom. 5.* Quæ est Justificatio fidei, qua lex stabilitur, *ad Rom. 3.* Cujus Justitiæ fidei circumcisio signaculum fuit in Patribus. Qui verò in circumcisione, vel ex toto, vel ex parte quærit Justitiam, is debitor

est totius legis servandę: quia Christus illi nihil prodest.

V. Sanctos posse gratiã excidere, testatur Apostolus exemplo Galatarum, qui verè renati fuerunt, & postea suggestione Pseudoapostolorum ad circumcisiõẽ & Judaismum relapsi, Christi facti sunt inanes, & gratia exciderunt.

Quod verò illi, qui hanc sententiam impugnant, ajunt: Galatas non verè fuisse renatos, sed tantum iter adipiscendę gratiæ ingressos, facile est illos vanitatis ex illis, quæ 3. & 4. cap. audivimus, arguere, nempe quod Apostolus dixit: *illos spiritum adoptionis accepisse per auditum fidei, spiritu incepisse, multa propter veritatem passos, ipsos baptisatos Christum induisse, ipsos Deum cognovisse, & ab ipso cognitos, & nunc ad egea mundi elementa converti* (id quod veritatis agnitionem præsupponit) *ipsos Paulum tanquam angelum Dei, imò ut Christum excepisse* (qui fructus fidei est.) Item, quod affirmat: *Se iterum ipsos parturire*, id quod præsupponit, eos jam antea renatos fuisse, & nunc regenerationis gratia excidisse: Item, *Benè ipsos cucurisse, & in illo suo cursu aversos, &c.* Quod autem Justus se avertere possit à Justitia, & qui refugerunt ab inquinamentis mundi, per agnitionem Domini & Servatoris Jesu Christi, his rursus involuti superari, & à sancto, quod ipsis tradi-

tum est, præcepto converti possint, ut postrema eis fiant deteriora prioribus, testatur Ezechiel Propheta 18. & Petrus 2. *Epist.* 2.

VI. Fundamentū spei Christianæ fidem esse, testatur Paulus, dicens: *Nos spiritu ex fide spem justitiæ expectamus.* Est enim spes expectatio promissæ & speratæ Justitiæ æternæ, qua in nobis ipsis perfecta Justitia sine omni macula ornabimur ex fide, in promissione verbi acquiescente, per Spiritum S. Ideò hæc spes certa est, & non confundit, *Rom.* 5. Usq; aded, ut Paulus nos spe salvos esse pronunciet, *Rom.* 8.

VII. De abrogatione circumcisionis in regno Christi spirituali testimonium habemus evidentissimum: *In Christo Jesu neq; circumcisio, neq; præputium quicquam valet.* Successit autem nunc in locum circumcisionis Baptismus, teste Paulo *Coloss.* 2. per quem (Christum) & circumcisi estis circumcisione, quæ fit sine manibus, dum exuistis corpus peccatorum carnis per circumcisionem Christi, conssepulti simul cum illo per Baptismum, in quo simul etiam cum illo resurrexistis per fidem operationis Dei, qui excitavit illum ex mortuis. Quod verò Dominus de circumcisione pronunciat: *Statuam pactum meum inter me & te, interq; semen tuum post te in generationibus tuis fœdere perpetuo; Gen.* 17. Notū est vocem *leolam*, id est, perpetuū,

tud, intelligi sapiùs non de æternitate infinita, sed de tempore longo, sicut *Levit. 6. & 7.* de legalibus sacrificiis usurpatur. Quandoquidem autem fuit signaculum Justitiæ fidei in Christum venturum, sicut etiam alii ritus sacrificiorum Christum venturum repræsentarunt: Consequitur, ut quemadmodum Christo exhibito totum vetus pactum in sacrificiis & ritibus positum, abrogatum est, secundùm pronunciatum Domini *Jerem. 31. Epist. Hebr. 8.* Ita etiam circumcisio ad illud pertinens, unà abolita fuerit.

**II X.** Summa Christianismi est fides per charitatem efficax, cui excitandæ & alendæ verbum & Sacramenta inserviunt. Ita Johannes etiam fidem & charitatem conjungit *1. Epist. 3.* Hoc est præceptum ejus, inquit, ut credamus nomini Filii ejus Jesu Christi, & diligamus nos mutuò, sicut dedit præceptum nobis. Quod ipsum etiam Paulus confirmat *1. Tim. 1.* inquit: *Finis præcepti est charitas ex puro corde & fide non ficta.*

**IX.** Doctrina perversa homines à recto cursu in errores, à veritate ad mendacia abducit, ut à veritate aures avertant, & ad fabulas convertantur, *2. Tim. 4.* Ergò credentibus persistendum in iis, quæ didicerunt, & quæ ipsis concredita sunt, *2. Tim. 3.*

**X.** Falsi Doctores, ut maximè verbum Dei, & Deum ipsum, lingua prætexant, verè ta-

men

men à Deo persuasio erroris non est, sed à Satana. Sicuti Schw enckfeldiani & Anabaptistæ jactitant Enthusiasmos & peculiare revelationes spiritus, & pari ratione Pontificii Decretis Papæ & Conciliorum prætexunt Spiritum sanctum, attendentes ipsis potius spiritibus, impostoribus, ac doctrinis Dæmoniorum, ut loquitur Apostolus 1. *Tim.* 4. Proinde errant ipsi & alios in errorem inducunt. Itaque ad legem & ad testimoniū; quod si non dixerint secundum verbum hoc: *Non erit ipsis matutina lux, Esa.* 8.

XI. Falsa doctrina & error aliquis, licet primum levis videatur, tamen si defenditur pertinaciter, & non statim ab initio abjicitur, facile est, ab uno in alium prolabi, & tandem in ipsum fundamentum impingere, sicut id assertio Apostoli manifestè docet: *Parum fermenti totam massam fermentat.* Et ipsa id experientia totius Papatus, & aliorum falsorum dogmatum comprobatur.

Ergo religio nobis sit, vel in minimo à sana doctrina deflectere. *Tene, inquit Dominus, quod habes, ut accipiat nemo coronam tuam, Apoc.* 3.

XII. Pœna falsorum Doctorum exprimitur ab Apostolo: *Ceterum, qui conturbat vos, judicium suum portabit, quisquis fuerit.* Et idem hæreses postea in operibus carnis numerat, quæ à regno Dei hominē excludunt.

Hinc cum Diabolo seducente gentes, bestia, & Pseudoprophetam videt Johannes conjici in stagnū ignis, ubi cruciabuntur diē ac nocte, in secula seculorum, *Apoç. 20.*

XIII. Non propter crucem abjicienda puritas veritatis Evangelicæ, quemadmodū Paulus, ut aboleretur offendiculum crucis, noluit circumcisionē prædicare, & cū Christo conjugere, ut veritas Evangelii penes ipsum maneret. Veritatem enim Evangelii tanquam umbra corpus, solet comitari crux, testate Christo: *Qui discipulus meus esse vult, tollat crucem suam, & sequatur me.* Arque ita hostes veritatis Prophetas, & Christū ipsum persecuti sunt: *Sed gaudere, inquit Dominus, & exultate, quoniam merces vestra multa est in cælis, Matth 5.*

XIV. Licet sanctis nō carnali affectu, sed zelo spiritus pro gratia Dei, & conservatione veritatis falsis Doctoribus, obstinatis, & blasphemis exitiū imprecari, ut cessent blasphemare & conturbare Ecclesiam Christi ac simplices: Sicuti Apostolus hic magno zelo imprecatur Pseudoapostolis: Utinam & abscendantur, qui vos conturbant: Sic idem Apostolus 2. *Tim. 4.* Imprecatur Alexandro Fabro ærario, *inquiens: Alexander Faber ærarius multis malis me affecit, reddat illi Dominus juxta facta ipsius: Et similes vehemētissime imprecationes in Psalmis occurrunt.*

Secun-

SECUNDA PARS CAPITIS  
Quinti.*Vos enim fratres, &c.*

Docuit Apostolus, Christianos liberatos esse, tum à circūcisione aliarumq; ceremonialiū legumjugo, tum præcipuè etiā à maledictione legis & rigore. Ne verò Galatæ hanc doctrinā de libertate Christiana parū dextrè acciperent, & illā ad carnis licentiam abuterentur, perinde ac si sibi jam, quod libet, liceret, sequentem admonitionem subjicit: *Vos enim in libertate vocati estis fratres, modo ne libertatem in occasione carni scilicet detis.* Dum fratres appellat, benevolentiam captat, ut illos ad diligentem necessariæ commonefactionis observationem inflectat. Ea autem verborum Pauli sententia est, ac si diceret: Audivistis quidem hætenus, vos à servitute, maledictione, & rigore legis in libertatem assertos, in qua vobis persistendum sit semper: At nolo hanc doctrinam ita intelligatis, ac si nunc vobis liceat, quod libet, sed sciatis, ita in libertatem vos vocatos, ut tamen illam non in occasionem carnis accipiatis, ad vivendum secundum carnem, carnis desideria perficienda, ad lasciviendum, ad insultandum proximo, ad rixandum, &c. Quomodo ergo ipsis vivendum? *Sed per charitatē servite aliis aliis.* Charitatem ab ipsis requirit,

ut secundum illam alii aliis serviant, pedes lavent, & officia humanitatis & beneficentiae exhibeant. Ut autem, sicut monet, persuadeat, legem charitatis tanquam normam & regulam vitae eis ipsis praescribit: *Nam tota lex in uno verbo impletur, nimirum in hoc: Diliges proximum tuum sicut teipsum*: Ostendit omnia praecepta secundae tabulae sub illo mandato: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, summam comprehendit. At quaerat aliquis: Cur alterum mandatum de dilectione Dei, quo continentur summam praecepta primae tabulae, omittat, & in secundo de dilectione proximi, totam legem impleri affirmet? Respondetur: Id idem fieri ab Apostolo, quia secundum praeceptum de proximi dilectione primum praesupponat, quum dilectio Dei charitatis erga proximum fons sit. Deinde utitur Apostolus alio argumento ad persuadendam Galatis charitatem, sumpto ab incommodo odii, rixarum, dissidiorum charitati repugnantium. *Si enim, inquit, alii alios invicem mordetis & devoratis, videte, ne alii ab aliis invicem consumamini*. Desumpta est Metaphora ab immanibus bestiis invicem se mordentibus, laniantibus, devorantibus, & consumantibus. Ita enim, si in Ecclesia aliqua sint schismata, contentiones, vel in doctrina, vel in conversatione odia, similitates, dissidia, fit, ut sese invicem homines

nes mordeant, nec tantum mordeant, sed etiam devorent, & tandem consumant, ac ad paucitatem redigant.

## LOCI COMMUNES PARTIS

### II. Cap. V.

I. Libertate Christiana non abutendum ad licentiam carnis, docet Apostolus, cum ait: *Vos in libertatem vocati estis, modo ne libertatem in occasionem carnis, id est, perficendi desideria carnis, accipiatis.* Fuerunt singulis temporibus, qui doctrinam de gratia & libertate Christiana perperam interpretati sunt, etiam ætate Apostolorum, sicut testatur Paulus, doctrinæ Evangelicæ hostes objecisse sibi ad Rom. 6. Quid igitur dicemus? Manebimus in peccato, ut gratia abundet? Et tales circa postrema tempora futuros B. Judas in sua Epistola prædixit, qui Dei gratiam transferant ad lasciviam. Hujusmodi fuerunt hisce temporibus, Libertini & Anabaptistæ: Qui idè, quod Christiani sint sub gratia, liberi à legis servitute, & libero ac spontaneo spiritu regi debeant, eò insaniam devenerunt, ut quicquid libèret, quicquid carni adlubesceret, idem etiam licere sibi existimarent. Cui profanæ Sectæ ac Epicuræ hîc contradicit Apostolus, & Beatus Judas ipsis iudicium grave comminatur.

II. Quatenus à lege liberi sint Christiani, nempe ratione jugi ceremoniarum, ma-

ledictionis & rigoris legis, non autem quoad legem moralem ratione obedientiæ. Lex enim immotam Dei voluntatem continet, ad quam tanquam ad certam regulam Christiani ducti libero & spontaneo spiritu vitam suam conformare tenentur, sicut hic charitatem à Christianis ex præscripto legis requiritur & eandem vitæ normam, *Roman. 13.* præscribit. Unde sancti viam mandatorum Dei currere, *Psal. 119.* Præcepta Domini custodire, & ad Dominum reverti toto corde, secundum universam legem Mosis dicuntur, *2. Reg. 22. 23.* Quod notandum est, nō tantum propter Antinomos, legis doctrinam ex Ecclesia exturbantes, quam propter Pontificios, qui propterea, quod Paulus negat hominem operibus legis justificari, contendunt, opera tantum fidem antecedentia à Justificationis causa excludi, non autem opera fidem consequentia. At renatos etiam opera legis facere, id est, ad legis præscriptum, præsens locus & alii testantur, *Matth. 7.*

III. De charitate erga proximum, quæ vult, ut alii aliis inserviant, & humanitatis officia exhibeant. Regula autem charitatis est lex illa: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*, ubi proximus est intelligendus, & amicus & inimicus, testante Domino, in parabola hominis à latronibus vul-

vulnerati, & semimortui relictī: atque Samaritani ex commiseratione illum curantis, *Luc. 10.* Porrò eandem charitatis regulam tradit Dominus, *Matth. 7.* Omnia, quæcunque volueritis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc enim est lex & Prophetæ. Hoc de charitate exercenda præceptum passim repetitur. Nemini quicquam debeat, nisi hoc, ut diligatis vos invicem. Nam qui diligit alterum, legem implevit, &c. *Roman. 13.* Filioli mei, ne diligamus verbo & lingua, sed opere & veritate, *1. Joh. 4.*

IIII. Quàm perniciosæ sint in Ecclesia contentiones, odia & dissidia, sive in doctrina, sive in vita & conversatione exorta, docet Apostolus his verbis: *Si alii alios invicem mordetis & devoratis, videte, ne alii ab aliis consumamini.* Ubi enim ita gliscunt ac foventur odia ac dissidia, ibi pax & concordia, omnis vinculum perfectionis, quod est charitas, qua scilicet Christiani in unum corpus devincti & colligati sunt, dissolvitur ac diffuitur, corpus ipsum attenuatur & consumitur. Cùm igitur concordia sit gloria filiorum Dei summa, *Johan. 17.* *Gloriam quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus:* Omnes sancti in hoc incumbant, ut concordiam & unitatem Spiritus foveant, ut sint unum cor, & una anima.

anima, ut cohabitent in unum, cum omni submissione ac mansuetudine, cum animi lenitate tolerantibus se invicem per charitatem, studentes servare unitatem spiritus per vinculum pacis, unum corpus & unus spiritus, &c. *Eph. 4.*

Neque tamen Paulus requirit, ut pacem, concordiam & consensionem cum impiis in falsa doctrina vel peccatis colamus. Ita enim dissidium melius est, *inquit Nazianzenus*, fucata concordia & conspiratione in malo. Commendatur concordia & pax in Deo, verbo veritatis & bono fundata. Interim tamen omnibus in hoc elaborandum, ut errantes, vel in doctrina, vel in vita spiritu mansuetudinis in viam reducant, delicta mutuo condonent, animos exacerbatos, & dissidentes in veritate, & bono conjungant, vulnera sanent, ut ita corpus Ecclesiae crescat, & augeatur de die in diem.

### III. PARS CAP. V.

*Dico autem spiritu, &c.*

Pergit Apostolus exhortari Galatas ad vitam spirituales & carnis mortificationem. *Dico autem spiritu ambulate, & carnis concupiscentiam non perficietis.* Vox spiritus hic significat hominem, quatenus Christo per fidem insitus, ejusque spiritu regeneratus est, ad pie de Deo sentiendum, credendum, in timore ejus bene ad legis normam vivendum.

Sicut

Sicut contrà per carnem intelligit, non tantùm alteram hominis partem, corpus nimirum sine anima, sed eundem totum hominem, animâ & corpore constantem, quatenus adhuc carnalis est, & natura ejus peccato & morti obnoxia; id est, quatenus spiritu Domini nondum ex toto renatus, peccatum adhuc habet, carnaliter sentit, cogitat, loquitur, concupiscit malum, &c. Atq; ita unus & idem homo renatus est spiritus & spiritualis, & idem ipse etiam caro est, vel carnem habet, id est, natura ejus peccato & morti est obnoxia. Auctoritate igitur Apostolica edicit Paulus Galatis (*Dico autem, inquit, &c*) ut spiritu ambulent, hoc est, Sp. S. ductum sequantur, & in vera fide, timore Domini, in invocatione assiduâ vitam sanctam agant, ita futurum ait: *Ut carnis concupiscentiam non perficiant.* Non dicit, illos planè ab omni carnis concupiscentia & affectione immunes fore, sed non perfecturos illam, scilicet carnis concupiscentiam, hoc est, non concessuros, ut peccatum regnet in mortali ipsorum corpore, ut obediant illi, per cupiditates ejus, vel non hoc, quod caro concupiscit, ipso opere perfecturos, non laxaturos frenû pravis cupiditatibus, libidini, iræ, odio Dei & hominum, &c. videlicet peccatis.

Ostendit autem, luctam esse inter carnem & spiritum, in uno & eodem homine. *Nam*

CARO

*caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc autem mutuò inter se adversantur: Ut ne quacunq; velitis, efficiatis.* Hanc pugnam carnis adversus spiritum Apostoli Pauli verbis omnium rectissime explicamus, qui ita suo exemplo illam describit, *Rom. 7.* Novi, quod non habiter in me, hoc est, in carne mea, bonum: Nam velle adest mihi, at ut perficiam bonum, non reperio: Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod non volo malum, hoc ago. Si verò, quod non volo, ego, hoc facio (scilicet ratione carnis, & externi hominis) non jam ego perpetro illud, sed inhabitās in me peccatum. Reperio igitur legem volenti mihi bonum facere, quod malum mihi adiaceat. Delector lege enim Dei, secundū interiōre hominem: sed video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captivum reddentem legi peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit ex hoc corpore mortis hujus? Gratias ago Deo per Jesum Christum Dominum nostrum. Itaq; idem ego mente quidem tercio legi Dei, carne verò legi peccati. Quemadmodum itaq; caro cōcupiscit adversus spiritum, ita spiritus adversus carnem. Unde ex hac pugna carnis & spiritus fit: *Ut ne quacunq; velitis, inquit Apostolus, perficiatis.* Quod in utramq; partem verum est. Nam caro re-

pugnans

pugnans spiritui, cuius impulsu sanctis etiam surgunt pravæ cogitationes, cupiditates, dubitationes, &c. facit, ut bonum, quod secundum spiritum & interiorem hominem pii volunt, non plenè perficiant, quin interdum etiam graviter hallucinentur, errent & delinquant. Vicissim autem spiritus concupiscens adversus carnem facit, ne ejus desideria perficiant, sed reprimant & compescant, ut sic tandem spiritus superior evadat & triumphet: Ad quod Paulus Galatas adhortatur, utens argumento ab effectu vel signo: *Si verò, inquit, spiritu ducimini, non estis sub lege.* Christus enim, qui nos liberavit à legis maledictione & coactione, simul spiritum libertatis contulit, quem lex dare non poterat, per hunc mens, cor & voluntas liberata delectantur lege Dei, ut jam homo ductu spiritus non vivat secundum carnem, sed legi Dei serviat spiritu spontaneo. Eo igitur ipso, quod se spiritu Domini regi sinunt, ostendunt tanquã certo signo, se non esse sub lege, id est, legis maledictione & coactione, sed sub gratia, *Rom. 6.* Quibus verbis simul occurrit objectioni profanæ mentis hominum, qui ita potuissent Apostolo occinere: Non sumus sub lege: E. non tene-mur legi obedientiam præstare, sed liberè, prout lubet, vivere nobis licebit. Contrà autem Apostolus respondet: Imò tum demum

osten-

ostenderis, vos non esse sub lege, si Spiritus sancti ductum secuti, ad voluntatem Dei, lege ejus expressam, studia, vitam, & actiones vestras conformaveritis.

*LOCI COMMUNES PARTIS  
III. Cap. V.*

I. Exhortatio Apostolica ad vitam spiritualem & carnis mortificationem, quæ est, *Ut spiritu ambulent, & carnis concupiscentiam non perficiant.* Debitores enim sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus: nam si secundum carnem vixeritis, moriemini, quod si spiritu, id est, spiritualibus motibus, vero timore Dei, fide, invocatione, pietatisq; exercitiis aliis facta corporis mortificetis, vivetis.

II. De lucta carnis & Spiritus in Sanctis, quæ facit, ut quæ volunt in utramq; partem, non perficiant, quam pugnam Apostolus in seipso graviter describit loco in paraphrasi allegato. Quamobremur, sanctos in hac vita eò perfectionis nunquam pervenire, ut sint *ἀναμάρτητοι*, id est, immunes prorsus à peccatis. Quotusquisque enim est, cui non interdum, imò sæpius surgant malæ cogitationes animo suo, & in voluntate pravæ cupiditates ac motus, ac in affectibus magna *ἀσέβεια*, usq; adeò, ut nonnunquam graviter peccent, sicut exempla Moïsis, Aaronis, Davidis, Petri, Thomæ & aliorum satis testantur. Quin communis

munis vox est omnium sanctorum: *Si dixerimus, peccatum non habemus, seducimus nos ipsos, & veritas in nobis non est, I. Joh. I.*

III. Monet nos eadem lucta, ut sobrii simus, vigilemus & oremus semper, ne inducamur in tentationem. Unusquisque autem tentatur, dum à propria concupiscentiâ abstrahitur & inescatur. Deinde concupiscentia posteaquã concepit, parit peccatum, peccatum verò perfectum progignit mortem, *Jacob. I.*

IV. Rursus doctrina notanda est, quod liberatio à legis maledictione & coactione non accipienda sit in occasione carnis. Cùm potius hoc Christi beneficiũ præstet, ut spiritu Domini ducamur. Etenim quicumque spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei, & qui spiritum Christi non habent, non sunt ejus, hi scilicet sunt sub lege. Quæ omnia calcar nobis addant, ut spiritu incedamus, ne peccatum regnare sinamus in mortali hoc corpore, ad obediendum concupiscentiis pravis, *Rom. 6.*

IV. PARS CAPITIS V.

*Manifesta sunt, &c.*

Postquã ad vitam spiritualem & sanctam, qua fiat, ut desideria carnis non perficiantur, adhortatus est Apostolus Galatas, nunc commodè per antithesin opera carnis & spiritus recenset, ne cui hac in parte ignorantia præ-

Q

texen-

texendæ locus sit. *Manifesta sunt opera carnis.* Opera carnis dicuntur, quando homo carnis concupiscentiam perficit, ita ut in externa opera erumpat. Recenset autem septendecim hoc loco, ut sunt 1. *Adulterium*, Fœderis cōjugalis violatio. 2. *Scortatio*, qua solutus cum soluta libidinem exercet. 3. *Impuritas*, immunditia, quæ complectitur omnem spiritus, corporis, sermonis & gestuum impudicitiam, quocunq; nomine veniat, omniaq; etiam Sodomitica & infanda scelera. 4. *Lascivia* ἁλιγεια, id est, incontinentia & petulantia omnis, qua quis profligato omni pudore, virtute & reverentia Dei & hominum, procacitate, spurcitie, jocis obscœnis & luxu omnique libidine delectatur. 5. *Idololatria*, quæ est fingere aliquid esse Deum, quod Deus non est, honorem solius Dei proprium tribuere creaturis, præsentiam Dei ac cultum eius alligare ad certas statuas, loca vel res, quò ipse se suo verbo non alligavit, vel eligere cultus suo pro ingenio excogitados, & Dei verbo non institutos. 6. *Veneficium*, quod est, vel propinato veneno ac philtis, vel incantationibus artibusq; magicis alterius vitam ac valetudinem lædere & affligere. 7. *Inimicitia*, id est, odia & animorum dissensiones, ortæ vel ex suspitione, vel ex ambitione, vel ex iniuriis illatis. 8. *Lis*, id est, verborum pugnae & rixæ inter ambitiosos & fastuo-

astuosos, quibus homines mutuò se convi-  
 iis proscindunt. 9. *Emulationes*, non lo-  
 quitur Apostolus de zelo & æmulatione ho-  
 nestâ, qua alius alium virtute, diligentia, pro-  
 pitate, laudabili imitatione superare cona-  
 ur, sed de inhonesta indignatione & dolore,  
 quo quis alterius bonis ac honoribus invi-  
 det, illumq; premere ac removere omni co-  
 ratu cupit. 10. *Ira*, inordinati motus, adver-  
 sus proximum, sine iusta causa, vel modera-  
 tione decente. 11. *Contentiones*, id est, rixæ de  
 possessionibus, agris & bonis, cum odio per-  
 sonarum irreconciliabili. 12. *Seditiones*, id  
 est, factiones in Rep. cum plures unum ca-  
 put sequuntur adversus alios tumultuariè, ut  
 multitudo in partes distrahatur, unde sedi-  
 tiones oriuntur, vel cum in Ecclesia etiã plu-  
 res uni alicui ob certas ceremonias, vel alias  
 causas addicti sunt, cum aliã in doctrina est  
 consensus; unde schismata existunt. 13. *Hæ-  
 resis vel secta*: Hæresis est pertinax erroris  
 cum fundamento salutis, cum articulis fi-  
 dei, vel claro Dei verbo pugnantis, defensio  
 talis, qua alii in eandem opinionem pertra-  
 huntur. 14. *Invidia*: Invidia est dolor ob al-  
 terius fortunam, commoda, honores, quo  
 quis alios, quibus invidet, è medio sublato  
 velit, ac isto dolore seipsum miserè excru-  
 ciat. 15. *Cedes*, quibus hominis sanguis per  
 alium, cui gladius à Deo & legibus datus non

est, effunditur. 16. *Ebrietates*, quibus nimio vino homines sese ingurgitant, ut neq; pes, neq; mens, neq; aliæ vires & membra animæ & corporis, ad facienda vocationis opera idonea sint, & ad alia enormia scelera impelluntur. 17. *Commessationes*, id est: Luxus in cibo & potu, comotationes nocturnæ, cantiones ebriosorum confusaneæ, helluationes, quibus bona inutiliter dilapidantur, &c. Addit autem Apostolus: *Et his similia*, qua clausula comprehendit omnia peccata externa, cum lege Dei pugnantia. Adjicit præterea Paulus gravissimam comminationem ad deterrandos Christianos ab istiusmodi operibus carnis & flagitiis: *De quibus prædico vobis, sicut & prædixi, quod qui talia faciunt, regni Dei heredes non erunt*: Indicans exortes cælestis regni esse omnes illos, qui ejusmodi sceleribus & peccatis se contaminant. Ratio est, quia per illa fides, Sp. S. & gratia Dei amittitur, conscientia vastatur, & ira Dei justa provocatur, qui illa odit, & detestatur serid.

Ex antithesi autem Apostolus etiam recenset fructus Spiritus, quos ideò sic appellat, quia Spiritum sanctum, cujus ductum renati sequuntur, authorem habent, ejusque gratia arbores Justitiæ sunt ad fructificandû, *Esa. 61*. Recenset autem hîc novem, nō quidem omnes, sed præcipuos. Quinam illi? Primum, *charitas*, scilicet erga Deum & erga pro-

proximum, non tantum amicum, sed etiam inimicum; quam Apostolus describit 1. *Cor.* 13. tum à suis proprietaribus & effectis, tum à *duracione*. Secundò, *gaudium*, non loquitur de gaudio mundano, cum quis vel alterius malo & infortunio gaudet, quod *ἡ χαίρειναι* dicitur, vel exultat in rebus pessimis, sicut Salomon loquitur, vel se rebus fluxis & evanidis oblectat, quod momentaneum & vanum est, sed agit de gaudio piorum, qui in Deo & Christo Salvatore suo gaudent, & lege Domini, piisque exercitiis se oblectant, quod gaudium ne cruce quidem extinguitur. 3. *Pax*, quæ non est conspiratio cum impiis in falsa doctrina, vel in rebus malis, ubi discordia & bellum melius est, sed præcipuè est pax conscientiæ, quæ oritur ex pace cum Deo, qua cum Deo per Christum Mediatorem, qui inimicitias sustulit, reconciliati & fidei iustificati, pacem habent, *Roman.* 5. Deinde est studium concordie cum proximo. 4. *Lenitas*, virtus compescens iram, ne effervescat adversus eos, qui læserunt, spe commendationis. 5. *Benignitas*, virtus, qua quis benè & cupit & facit omnibus, quibus potest & debet, & nemini nocet, præterea etiam quædam morum suavitate & humanitate erga alios utitur. 6. *Bonitas*, studium benefaciendi cuilibet. 7. *Fides*, constantia in dictis & factis. 8. *Mansuetudo*, virtus mo-

derans iracundiam, vindictæ cupiditatem, remittens injurias, tolerans aliorum infirmitates, tranquillitatis causa. 9. *Temperantia*, id est, decens moderatio voluptatum gustus & tactus, &c. *Adversus ejusmodi non est lex*, id est: Quicumq; duce Spiritu sancto tanquã arbores frugiferę in fide ad gloriam Dei proferunt ejusmodi fructus, adversus hos non est lex, id est, hi non sunt sub legis maledictione & coactione: siquidem lex injustis posita est, ut illos terreat, accuset, eis maledicat, cogat eos, non autem Justis. At objiciat aliquis: credentes in Christum liberi sunt a lege: Ergo licet illis ad lubitum & ductum carnis vivere? Huic objectioni occurrit Paulus his verbis: *Qui verò sunt Christi, carnem crucifixerunt cum suis affectibus & concupiscentiis. Quorum verborum hæc est sententia: Imò, quicumq; sunt Christi, in quorum cordibus per fidem habitat Christus, illi virtute inhabitantis Christi, ejusq; spiritus, carnem cum suis affectibus & concupiscentiis, ut sunt ira, invidia, vindictæ cupiditas, illicitæ appetitiones, &c. crucifixerunt. Verbum autem crucifigendi significat, tum pro maledicto habere, vel maledictum facere, quemadmodum illi, qui crucifigunt alios, faciunt, ut sint maledictum, quemadmodum scriptũ est: maledictus qui pēdet in ligno, tum mortificare, & viribus exuere. Ita credenses cruci-*

*figunt*

*figunt carnem, cum suis affectibus & concupiscentiis, hoc est, naturæ malitiam & pravitatem maledictam faciunt, detestantur illam ac mortificant, ut quemadmodū homo crucifixus nihil operatur: Ita nec caro cum suis desideriis malè operandi vires habeat. Unde superiorem admonitionem repetit inserto argumento ab efficiente causa: Si spiritu vivimus, & spiritu incedamus, hoc est: Si per Evangelium Christi, per quod Sp. S. Spiritus vitæ & consolationis, Spiritus gratiæ efficax est, vivificati sumus spiritualiter, etiam spiritu incedamus, hoc est: In tota vita nostra Spiritus S. ductum sequamur, ita ut illā cum voluntate Dei, in lege ejus expressa conformemur.*

In primis autem dehortatur ab ambitione & inanis gloriæ cupiditate, quæ est mater rixarum, discordiæ, & invidiæ, *ne efficiamur inanis gloriæ cupidi. Vera gloria est, quâ in Domino gloriamur, deinde in rectè factis, & deniq; etiam in afflictionibus.*

Inanis gloria est, vel quando homines gloriantur in malitia, vel propriarum virtutum, sapientiæ & sanctimoniæ opinione intumescunt, vel rerum abundantia, fortuna, ac potentia elati aliis insultant, veræ tamen virtutis laude destituti. Homines autem inanis gloriæ cupidi, dolent alios sibi præferri, nulli cedunt, alios provocant, vel aliis invident,

dent, à quibus peccatis sancti alieni esse debent.

LOCI COMMUNES PARTIS

IV. Cap. V.

I. De operibus carnis, quæ aliàs peccata regnantia dicuntur, & tum fiunt, cum homo secundum carnem vivit, & ejus concupiscentiam, & passiones perficit. Petrus Apostolus militantia contra animam, 1. Pet. 2. August. vastantia conscientiam appellat. Ab his caveant sibi sancti, considerantes gravissimam comminationem Apostoli: *De quibus predico vobis, sicut & predixi, quod qui talia agunt, regni Dei heredes non erunt.* Similis comminatio extat 1. Cor. 6. Ne erretis, neq; scortatores, neq; cultores simulachrorum, neque adulteri, neq; molles, neq; *αἰσχρογῆται*, neq; fures, neq; avari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces regni Dei hæreditatem consequentur.

II. Hinc etiam apparet, eos hallucinari, qui cõtendunt sanctos & renatos gratia Dei excidere non posse, si maximè adulterium, scortationem, homicidium, vel alia ejusmodi opera carnis cõmittant. Exempli causa: Davidem, tum etiam, cum adulterium & homicidium perpetravit, perstitisse in gratia Dei, retinuisse Sp. sanctum & fidem, quæ tum quasi sopita fuerit, perinde ac ignis scintillæ sub cineribus occultantur. Atreclamat

clamat hîc Apostolus, expressè affirmans, eos qui opera carnis faciunt, regni Dei exortes esse. At qui credunt, salvantur, & regni Dei exortes non sunt. Verè enim David tum fidem & Sp. S. amisit, ut nisi auditâ concione Prophetæ egisset pœnitentiam, & Dominus transtulisset ab ipso peccatum, in æternum periisset. Sapiencia enim in domo tam polluta non habitat, ubi templum ejus profanatur. Unde *Ezechiel Prophetæ 33. cap. Si, inquit, justus averterit se à justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur propter illam, & omnes justitie ejus non memorabuntur, sed propter iniquitatem suam, quam fecerit, morietur.* Huc pertinet illud Pauli, si secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu carnem mortificaveritis, vivetis, *Rom. 8.* Diligenter hæc notent sancti, ne sint securi, sed in timore & tremore salutem suam operentur, orantes cum Davide: *Audire fac me mane misericordiam tuam, quia in te spero, scire fac me viam, per quam ambulem, quia ad te levavi animam meam.* Item: *Doce me facere voluntatem tuam, quia tu es Deus meus: Spiritus tuus bonus deducat me in via recta, Psal. 143.*

III. Cùm Apostolus bona opera appellat fructus spiritus, comparat credentes cum arboribus frugiferis, proferentibus fructum suum in tempore suo, *Psal. 1.* Sicut etiam Dominus ait: *Arbor bona bonos facit fructus:*

Quorum autem corda fide purificantur, & Sp. S. renovantur, hi sunt arbores illæ Justitiæ ad fructificandum: De quibus Dominus Joh. 15. *Qui manet in me, inquit, & ego in eo, hic fert fructum multum.*

IV. Inde manifestum evadit, quod sit discrimen inter virtutes Ethicas Ethnicorum, & bona opera sanctorum. Illæ fiunt à non renatis, in incredulitate, à veteri homine, in vanitate mentis, non ad verum finem, sed *ὡς τὸ θεοῦ ἰναί, Matth. 6.* ad propriam gloriam. Et idè in peccatis censentur. *Quicquid enim ex fide non est peccatum est, Roman. 14.* At bona opera renatorum fiunt in fide, virtute Sp. S. ad normam legis divinæ, & ad Dei gloriam, ut Pater cœlestis in eo glorificetur, cum fructum copiosum afferunt, *Joh. 15. Hæc Deo grata sunt & accepta per Christum Jesum, Rom. 12.* Et habent suas promissiones: quæ licet sint imperfecta, tamen Dominus imperfectionem illam non imputat, sed tegit, ac præmiis remuneratur, teste Apostolo *1. Tim. 4. Pietas ad omnia utilis est, ut quæ promissiones habeat vite presentis & futura.*

V. Falsam esse gloriationem eorum, qui se Christianos jactitant, nec tamen vitã hanc professione dignam agunt, sed frænum laxant carnis cupiditatibus. Non enim satis est Christianos dici, ut B. Martyr Ignatius dixit, sed oportet Christianos esse. Christiani autem

tem veri sunt, qui Christi sunt, Qui Christi sunt, carnem cum suis affectibus & desideriis crucifigunt. Christiani sunt, qui Christi Spiritum habent. Nam qui Spiritum Christi non habent, non sunt ejus, *Rom. 8.* Hi itaq; spiritu vivunt, ac illi etiam qui spiritu vivunt, spiritu incedant oportet. Unde consequens est è contrario, Christi non esse, qui carnem nō crucifigunt, sed ejus desideria perficiunt, omniq; scelerum genere se contaminant. Illi etiam spiritum Christi non habent, sed fides, per quam Christus in cordibus nostris habitat, & Spiritum sanctum amittunt.

VI. Caveant sibi sancti à *κενοδοξία*, id est, inanis gloriæ cupiditate. Qui enim ita fortunæ, corporis, vel animæ etiam bonis insolescunt & efferuntur, illi plerunq; alios provocant, aliorum commodis, fortunis, honoribus, donis invident, serunt lites & contentiones, ut hoc vitium in Ecclesia & Rep. sit pestis intolerabilis. Memores sint pii exhortationis Apostolicæ, *Rom. 12.* Dico per gratiam, quæ data est mihi, cuilibet, qui est inter vos, nè quis arroganter de se sentiat, supra quàm oportet de se sentire, sed ita sentiat, ut modestus sit & sobrius, ut cuiq; partitus est Deus mensurā fidei. Et eodē cap. hortatur, ut alius alium honore præveniat, nec quisquam de se arroganter sentiat, nec sint sapientes apud semetipsos. Et rursus: ut nihil

per

per contentionem aut inanem gloriam faciat, sed humilitate animi alium quisque se præstantiorem existimet, *Philip. 2.*

## CAPUT VI.

ARGUMENTUM ET PARTES Hujus  
Capitis VI.

*Prima pars capitis præcepta moralia continet de erigendis leniter illis, qui in errorem vel peccatum lapsi sunt, de tolerandis mutuò infirmitatibus, de exercenda beneficentia, tum erga ministros & præcones verbi, tum in genere erga quosvis nostra ope indigentes. Maxime vero erga domesticos fidei.*

*Altera pars agit de cavendis Pseudoapostolis, circumcisionem & ceremonias legis urgentibus, atque sic concludit Epistolam fausta præca-tione.*

## I. PARS.

Exhortatio de erigendis lapsis, & tolerandis mutuò infirmitatibus, ex fine præcedentis cap. dependet. Cùm enim arrogantia, superbia, & inanis gloriæ cupiditas mater sit contemptus aliorum, contentionum, & invidiæ, rectè illud malum à Christianis abesse voluit. Hortaturus igitur Galatas Apostolus ad leniter corrigendos errâtes, *fratres* appellat, innuens se bonam adhuc de Galatarum conversione spem habere, & præterea etiam monet ipsos, ut fraternitatis spiritualis necessitudine conjunctos, à morum asperitate

&amp;

& inhumanitate alienos esse debere. *Etiamsi preoccupatus fuerit homo*, scilicet à propria carne, & Diabolo, vel carnis blanditiis, Satanæq; insidiis circumventus: voce *hominis* in memoriam illis revocat humanæ naturæ imbecillitatem, quæ ad lapsum prona est, *in aliquo delicto*, id est, vel in errore, vel in peccato. *Vos, qui spirituales estis*, id est, qui per spiritum Christi adhuc firmi statis, vel in via recta curritis, instaurate hujusmodi, scilicet lapsum, id est, erigite, & ab errore in viam rectam reducite. Verbo Græco (*καταρτίσει*) id est, instaurate, Metaphora inest, sumpta ab iis, qui membrum luxatum restituant suo loco, & componendo consolidant. At quomodo hujusmodi lapsum vult instaurari Apostolus? *Cum spiritu mansuetudinis*. Non asperioribus verbis tractari vult ex infirmitate lapsum, unde forsitan vel ad desperationem adigi, vel illi ad pertinacius errorem palliandum, ac defendendū occasio dari queat. Vult igitur cum ejusmodi homine leniter & moderatè agi. Addit autem rationem, qua hanc mansuetudinem, cujus autor Sp. S. est, in erigendis lapsis persuadere conatur Apostolus: *Considerans temetipsum, ne & tu tenteris*. Prærupta illa numeri mutatione sermonem dirigit, & quasi digitum intendit in aliquem animo elatum, & fastu quodam infirmos contemnentem, quasi dicat Apostolus: Tu qui

animo

animo elato es, considera te metipsum, & te etiam hominem esse memento, & proinde te etiam labi & errare posse, ne & tu à propria carne & Satana tenteris, id est, ad peccandum solliciteris, & tentatus succumbas. Qui enim semetipsum examinat, suamque ipsius agnoscit infirmitatem, non facile inquit curiosè, quod in aliis acerbius reprehendat & exaggeret, sed in semetipso invenit, quod redarguat.

*Alii onera aliorum portate, &c.*

Præcepto de leniter corrigendis errantibus aliud illi cognatum subjicit, vel id ipsum potius proponit uberius, de tolerandis mutuo infirmitatibus. *Alii aliorum onera portate.* Requirit Paulus in sanctis *συμπάθειαν*, ut affectione mutua alii aliorum infirmitates tolerant & condonent, & ne quis sit *αὐτοδύναμος* (sibi ipsi placens) falsaq; persuasionem pietatis, sanctimoniam & virtutis alios præ se despiciat, subjicit mentibus eorum, cuilibet homini suas esse infirmitates, quibus consideratis neminem ex elatione animi & fastu alios contemptui habiturum. Quod ut non tantum suadeat, sed etiam persuadeat Apostolus, inculcat eis legem Christi de dilectione mutua: *Et sic complete legem Christi.* Lex illa Christi, *Johan. 13. & 15.* extat: *Præceptum novum do vobis, ut diligatis vos mutuo, sicut dilexi vos.*

Dicitur autem hæc lex de dilectione mutua lex Christi & præceptum novum, licet quoad sententiam sit vetus illa lex Mosis, quia à Christo hoc præceptum jam renovatum est. Dicitur Christi lex, quia Christus legem hanc non tantum præcipit, sed simul etiam in corda inscribit spiritu suo, ut non simulatè, sed verè proximum diligamus. Dicitur etiam lex Christi, quia Christus suo exemplo illam vivendi formam præscripsit. Ipse enim nostrum onus portavit, & seipsum tradidit pro nobis: Ita etiam nos aliorum onera portare debemus, non quidem, ut pro ipsorum peccatis Deo satisfaciamus, sed affectione quadam infirmitates illorum toleremus, & errantes in viam revocemus.

Complent autem credentes hanc Christi legem, non quod omnibus numeris absolutam, & perfectam illi præstent in hac vita obedientiam, sed quia sine hypocrisi, & simulatione proximum amore complectuntur, quoad ejus in hac vita fieri potest, & quicquid non fit, hoc Christi obedientiâ tegitur & cõdonatur. Ut verò falsam persuasionem, quæ despiciendi proximum causa esse solet, auferat, addit: *Nam, si quis videtur sibi esse aliquid, cum nihil sit, ipse decipit animum suum,* id est: Si quis sanctitate vel virtute aliisvè donis se proximo suo meliorem esse existimet, cum tamen non sit, sed in eodem cum ipso pecca-

peccati & miseræ luto hæreat, is animi suum fallit, & mente sua aberrat. Deinde cum homines admodum proclives sint ad hoc, ut se cum aliis comparent, in aliorum vitam & mores curiosè inquirentes, unde ex falsa sanctitatis, quam sibi arrogat, opinione, illos alto quodam supercilio præ se despiciunt, etiam hanc cõtemptus causam eximit, inquit: *Opus autem suum probet unusquisq; , & tunc in semetipso gloriationem habebit, & non in alio.* Quibus verbis sanctus Paulus monet, ut quisq; non aliorum vitam examinet, & cum aliis sese conferat, sed suam ipsius vitam, studia, & actiones ad normam verbi Dei exigat & approbet. Quo facto futurum, ut in semetipso & non in alio gloriationem, id est, propriæ conscientiæ testimonium habeat, quod sinistris & perversis malevolorum de se iudiciis opponere queat. Non enim sermo est Apostolo de gloriatione sanctorum coram Deo, ubi non in suis factis, quæ norunt esse imperfecta & polluta; sed in Domino gloriantur, *1. Cor. 1.* Sed de testimonio conscientiæ approbantis rectè facta, quo quis coram hominibus iniquè de ipso iudicantibus gloriari potest. Ut autem Paulus Sanctis hoc studium, non in aliorum, sed in suam ipsorum vitam & mores inquirendi persuadeat, Dei sine respectu personarum iudicantis iudicium ipsis proponit:

Unus-

*Unusquisque enim suum onus portabit*, id est: Quilibet pro se suæ vitæ & actionum rationem reddet, & vel præmium, vel pœnam reportabit. Quod qui expendunt, nõ aliorum, sed suæ vitæ diligentes examinatores erunt.

*Communicet autem, &c.*

Aliud præceptum proponit Paulus, de exercenda beneficentia erga ministros & præcones verbi: *Communicet autem, qui catechizatur in sermone, ei, qui se catechizat, in omnibus bonis.* Catechizandi verbum licet aliàs usurpetur de iis, qui rudes primis initiis doctrinæ imbuunt: Tamen hîc generaliter de omnibus verbum Dei docentibus usurpatur. Vult autem Apostolus, ut auditores verbi & discipuli, Doctores Evangelii, vel præcones verbi, à quibus in doctrina Christiana instituuntur, honore & beneficentiâ prosequantur, illisq; vicem rependant, in omnibus bonis, id est, honorem illis suum exhibendo, victum & sustentationem necessariam præbendo. Quum verò homines plerunque admodum sint in quærendis & obtendendis prætextibus ingeniosi, cur debitum honorem exhibere, alimenta & victum necessarium ministris verbi communicare non teneantur, ut quòd ambitiosi, quòd avari sint & inexplebiles, &c. quòd sibi & suis providere cogantur, quin sæpius etiam, quæ ad alendos ministros jam antea destinata sunt, accidere

& in suum commodum convertere soleant, Apostolus gravissima ratione illis hos pretextus præcidere conatur: *Ne erretis: Deus enim non irridetur.* Alludens ad illud Christi, *Mat. 10.* Qui vos contemnit, me contemnit, qui ministros Dei irridet, Deum ipsum irridet, & ut maximè hominum oculos & mentes perstringere se posse putet, Deum tamen, qui cordis recessus & pravas cogitationes acutè introspicit, decipere non potest.

Sed & hoc obstare hominibus solet, quò minus liberales & grati erga Christi servos sint, quod vel conquirendis caducis hujus mundi bonis intenti sunt, vel opes suas profundunt in curanda cuticula, diffluentes luxu & helluantes, & ne quid hanc ad rem ipsis desit, admodum solliciti sunt. Ideò Apostolus in hoc obstaculo removendo, sedulo elaborat, proposito fructu tum his, qui caducis, fluxis & carnalibus intenti spiritualia negligunt, tum illis, qui hæc illis anteferunt, idque primum in genere: *Quicquid enim seminaverit homo, hoc & metet;* Studia uniuscujusque comparat sementi, quam sequitur messis, ut quemadmodum eruum qui seminat, nõ metit triticum, sed eruum, qui triticum serit, nõ metit eruum: ita qui in carnẽ serit, non metat bona æterna, sed corruptionem vel corruptibilia, qui in spiritum serit, non metat bona corruptibilia, sed eterna & permanentia,

ria, sicut Salomon ait *Proverb. II. Seminanti Justitiam erit merces stabilis. Quod autē in genere dixit, id jam in species deducit: Quoniam qui seminat in carnem suam, ex carne metet corruptionem, qui seminat in spiritum, ex spiritu metet vitam eternam.*

Per *carnem* intelligit Paulus tum opes terrenas, caducas & fluxas, quibus comparandis homines quidam nimis intenti sunt, tum opera carnis, ut sunt ebrietas, cōmessationes, luxus, quibus bona sua quidam dissipant, & utriq; hi victum, & alimentum Doctoribus verbi denegare solent.

Per *spiritum* autem intelligit ipsum sermonem vitæ & bona spiritualia, quæ inde ad nos redeunt, ut sunt vera fides, remissio peccatorum, Justitia, dona Sp.S. Hæc itaque est sententia horum verborum: *Quicumq; seminat in carnem suam*, id est: Quicumq; vel bonis carnalibus & momentaneis corradendis dat operam, vel carnem curat, indulgens ebrietati, helluationibus, luxuriæ, & illis potius, quàm thesauris spiritualibus comparandis opes suas impedit, *is ex carne*, id est, ex illis rebus fluxis, ex operibus illis carnis, vel studiis carnalibus *metet corruptionem*. Res siquidem illæ omnes per se sunt corruptibiles, neq; tandem aurum vel argentum liberare potest hominem in die iræ, *Sophon. I.* Sed & ad ipsum æternum interitum illum abdu-

cunt. *Qui verò seminat in spiritum*, id est, quicumq; alendis ministris verbi studia & opes impendit, ut per illos sermo Dei currat, ut inde in fide & pietate ædificentur, ut thesauros spirituales sibi cõparent, ac in Domino divites sint, hi ex spiritu, id est, ex prædicatione & auditu verbi per fidem *metent vitã eternam*. Est enim verbum Dei, per quod salvamur, *Act. 11*. Et hoc sensu etiam spiritualia dicuntur prædicatione Evangelii, & quæ inde ad homines redeunt bona, *1. Cor. 9*.

Porro hoc loco Pontificii dupliciter abutuntur. Primùm enim illa verba. *Qui seminat in carnem suam, ex carne metet corruptionem*, ad confirmationem impuri cœlibatus Sacerdotum detorquent. Quasi verò Apostolus ordinationem divinam conjugii ita deformare velit, tanquam opus carnale, cujus fructus sit interitus, cum potius Sp. S. conjugium velit esse honorabile inter omnes, & cubile impollutum, *Hebr. 13*. Loquitur autem Paulus hîc de operibus & studiis carnalibus, cum voluntate Dei pugnantibus.

Deinde illis verbis: *Qui seminat in spiritum, ex spiritu metet vitam eternam*, utuntur ad stabiliendum errorem suum de merito bonorum operum, contendentes bona opera promereri vitam æternam. Verùm si hic locus secundùm intentionem Apostoli, de fovendo ministerio Ecclesiastico intelligatur,

gatur, ut per illud sermo Dei currat, quo nobis vita æterna promittitur ac offertur, fide autem apprehenditur, ut hoc sit in spiritum feminare, tum non illorum errori, sed nostræ veræ sententiæ patrocinator. Si maximè verò de studio bonorū operum accipiatur, tamen illis vita æterna non ex merito debetur. Est enim donum Dei per Christum Jesum, *Roman. 6.* sed ex jure adoptionis, & promissione gratuita propter Christum, obtingit credentibus. Fit autem compensatio bonorum operum, non ex illorum merito & dignitate, sed ex mera gratia, ubi inter opera & mercedem nulla prorsus est proportio. Sicut hæreditas paterna filiis quidem debetur, propterea quod filii sunt, & non ex merito laborum, aliàs justius servis deberetur: fit tamen etiam compensatio operum & obedientiæ. Sed nunc in textu progrediamur.

Transfert Paulus hypothesin ad thesin. Sicut enim exhortatus est Galatas ad exercendam erga Doctores suos beneficentiã & gratitudinem: ita nunc in genere hortatur ad exercendam beneficentiã erga quosvis, & maximè erga domesticos fidei: *Bonum autem, inquit, facientes non defatigemur.* Requirit à sanctis, ut semper, absq; intermissione & lassitudine, opera charitatis & beneficentiæ exercent. Quum enim homines facilè subrefugia captent, quibus fontem liberalitatis

exsiccati sinunt, ut quòd homines ingrati sint, quod sibi & suis consulere teneantur, quod sapius egeni redeant, & nescio quæ alia, Apostolus monet sanctos, *ne bonum faciendo deficiant* ac delassentur, proposita promissione ample messis: *Tempore enim suo metemus, non deficientes*, sententia est: Fore aliquando tempus, quo si ipsi non deficient hic benefaciendo, uberrimam messem facturi, id est, amplissima præmia in vita æterna accepturi sint, & quidem *absq;* intermissione, ubi nulla inter opera beneficentiæ, & gratuitam illorum remunerationem proportio sit futura. Unde seria admonitione Galatas excitat: *Ergo dum tempus habemus erga omnes*, scilicet ope nostra indigentes, *operemur bonum*, nimirum succurrentes ipsorum inopiæ, *maximè verò erga domesticos fidei*, hoc est, quibus unius fidei in Christum societate & cognatione devincti sumus. Clausula illa, *dum tempus habemus*, innuit, jam tempus exercendæ beneficentiæ esse, quod cum hujus vitæ terminis claudatur, nullam benefaciendi aliis occasionem negligendam, tum verò secuturum tempus messis.

#### LOCI COMMUNES.

I. De modo agendi cum illis, qui carnis infirmitate Satanæq; insidiis inducti, vel in errorem, vel in peccatū aliquod prolapsi sunt. Quos Beatus Paulus non vult verbis aspe-  
rio-

rioribus tractari, vel ipsorum vitia odiosè notari & exaggerari, sed cum spiritu mansuetudinis instaurari & erigi. Quod tum omnibus Christianis, qui spirituales, id est, qui Sp. S. virtute firmi sunt, & in via recta benè currunt, tum imprimis ministris verbi notandū est, sicut Paulus alibi præcipit, 2. *Timoth.* 2. in-  
*quiens: Servum Domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malos cum mansuetudine, erudientem eos qui obstunt, si quando det illis Deus pœnitentiam ad agnoscendam veritatem, & resipiscant è Diaboli laqueo, capti ab eo ad ipsius voluntatem.* Alia autè ratio est eorum, qui præfractè errorem defendunt, de quibus præceptum dat Paulus *Tit.* 3. Hereticum hominem post unam & alteram admonitionem fuge, sciens, quod eversus sit, qui ejusmodi est, & peccet per se damnatus. Qui verò in delictis contra conscientiam obstinatè perseverant, vel illa defendunt; severius increpandi sunt, & secundum præceptum Apostolicum coram omnibus redarguendi, ut alii timorem habeant, 1. *Tim.* 5. imò etiam Satanæ tradendi sunt in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu, 1. *Cor.* 5.

II. Verbis Apostoli: *Etiam si præoccupatus fuerit homo in delicto; Item considerans temetipsum, ne & ipse tenteris.* Admonemur humanæ infirmitatis, & insidiarum Diaboli.

Tentatur autem unusquisq; , dum à propria concupiscentia abstrahitur & inescatur. Deinde postquam concupiscentia concepit, parit peccatum, peccatum verò perfectū progignit mortem, *Jacob. 1.* Deinde Satanas querit, ut sanctos sicut triticum cribret, *Luc. 22.* Et, ut Petrus loquitur: Obambulat sicut Leo rugiens, quærens quem devoret, *1. Pet. 5.*

Quæ consideratio non tantum in hoc nobis inserviat, ut ne aliorum infirmitatibus & lapsibus insultemus, verum etiam, ut ne simus securi, sed salutem nostram operemur cum timore & tremore, *Philip. 2.* Et qui stat, videat ne cadat, *1. Cor. 10.* Oremus igitur: Domine, ne nos inducas in tentationem.

III. De recipiendis lapsis, si pœnitentiam agant. Cùm n. instaurari vult illos Apostolus, Spiritu māsuetudinis, simul vult gratiæ fores illis non occludendas, sed in Ecclesiam, si resipiscant, recipiendos, sicut incestuosum Corinthium actâ pœnitentiâ recipi iussit, *2. Cor. 2.* Sufficit, inquit, istiusmodi homini increpatio hæc, quæ facta est à pluribus, adeò, ut è diverso magis condonare debeatis, & consolari, ne quo modo fiat, ut immodico dolore absorbeatur huiusmodi, &c.

IV. De tolerandis mutuò infirmitatibus & condonandis delictis, quæ pars est Christianæ charitatis, ad quam Paulus hortatur his verbis: *Alii aliorum onera portate, & sic le-*

*gem Christi complete.* Hoc præceptum tanto maiore studio observabunt Christiani, si quisque suam ipsius infirmitatem & vitia excutiat, & non vana sanctitatis, virtutis & pietatis persuasione seipsum decipiat. Repetit Apostolus eandem commonefactionem, *Coloss. 3.* ajens: *Induti sitis, ut electi Dei, sancti, dilecti, viscera miserationum, comitatem, modestiam, mansuetudinem, lenitatem, sufferentes vos invicem, & condonantes vobis mutuo, si quis adversus aliquem habuerit querelam, quemadmodum & Christus condonavit vobis, ita & vos.*

V. De impletione legis Christi. Etsi lex Christi de charitate quoad sententiã eadem est cum lege Mosis: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: tamen in hoc ab illa differt, quod Christus simul dat vires obediendi mandato, quas Moses rigidus tantum exactor conferre non potuit, sicut *Jerem. 31.* Dominus promisit, se legem suam in scripturam in cordibus hominum, &c. Deinde quoad rigorem Christus legem charitatis mitigavit. Exigit enim tantam, quantam in hac infirmitate sancti præstare possunt, obedientiam, illamque licet imperfectam, in fide tamen factam approbat, & quod imperfectionis & infirmitatis ipsi adheret, non imputat, sed tegit. Unde mandata Christi Johannes pronunciat non esse gravia, *1. Joh. 5.*

VI. De φιλαυλίᾳ seu falsa persuasione & superbia, *Qua quis se putat esse aliquid, cum nihil sit*, id est: Cùm quis suæ ipsius oblitus infirmitatis donis suis superbit, ac ideò sapientia, sanctitate, aliisq; virtutibus longè se præstare aliis existimat, quos ideò despicit, ejusmodi homo superbus & inflatus contemptorq; aliorũ suum ipse fallit animum. Exemplo est Pharisæus ille, *Luc. 18.* Qui sine agnitione proprię infirmitatis opinione sanctitatis & Justitię turgebat, aliosq; homines & Publicanum illum præ se contemnebat. Is verè suum decipiebat animum. Cùm enim justum se putaret, in damnationis sententiã incidebat. At Christiani se ipsos considerantes, & suum opus probantes, non arroganter de se sentiant, supra quàm oportet sentire, sed ita sentiant, ut modesti sint ac sobrii, *Rom. 12.* & superbiam tanquam certissimam ruinæ causam fugiant.

VII. De gloriatione sanctorum. Gloriantur autem primùm in Deo solo & non in se-ipsis, *1. Cor. 1.* Deinde in rectè factis, quibus per Domini gratiam student. De qua gloriatione *2. Cor. 1.* Paulus inquit: *Gloriatio nostra hæc est testimonium conscientie nostre.* Hanc de qua hìc Apostolo sermo est, opponunt perversis malevolorum de se judiciis.

IIX. Peccata comparantur oneri, quo homines gravantur. Peccatum enim nõ tantum

tum gravat conscientias, sed etiam homines deprimit, & demergit in barathrum inferni, nisi fiat remissio. Remittitur autem, si onerati peccatorum mole vera fide ad Christum accedant, qui peccata nostra verè portavit & demersit in profundum maris, *Esa. 53.* & *Michea. 7.*

IX. De beneficentia auditorum verbi erga suos Doctores & catechetas hinc insignis locus est. Idem autem præceptum Paulus tradit *1. Tim. 5.* Qui benè præsumunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè illi qui laborant in sermone & doctrinâ. Equum enim est, hanc mutuam vicem illis rependere, ut qui serunt spiritualia suis auditoribus, illi metant carnalia, vide Paulum *1. Cor. 9.*

X. Qui sub quovis prætextu ministris verbi victum denegât, vel, quæ ipsorum sustentationi destinata sunt, accidunt, Deum ipsum irridet. Qui tamen in derisores suos animadvertet, sicut Paulus affirmat: *Ne erretis, Deus non irridetur.* Huc pertinet, quod Dominus dicit *Matth. 10.* Qui vos contemnit, me contemnit. Et contemnentes me contemnam, *1. Sam. 2.*

XI. Accendantur Christiani, tum gravissima pœnarum comminatione, tum amplissima præmiorum promissione, quæ utraque sub similitudine messis proponitur, ad exercendam beneficentiam erga Doctores verbi.

bi. Qua de re Paulus ait: *Quicquid seminaverit homo, hoc et metet, &c.* Quicumq; n. hujus vitæ bonis cumulandis intenti sunt, vel opes suas in ebrietatem, luxum, helluationes, &c. infumunt, neglecto ministerio, ii in carnem seminant, & de carnalibus suis studiis merent corruptionem & interitum. Qui autem ministerium verbi fovent, ut ita regnum Dei propagetur, & ipsi in fide & pietate ædificentur, illi seminant in spiritum, & de spiritu merent vitam æternam, quam fide apprehendunt in promissione Evangelii, & ut gratiam suæ beneficentiæ remunerationem jute adoptionis accipient.

XII. De nulla beneficentiæ, erga quosvis ope nostra indigentes, maximè verò erga domesticos fidei, exercendæ occasione negligenda. Quod præceptum passim nobis Sp.S. in divinis literis commendat, ut *Esa. 58.* Frange panem esurienti, & pauperes vagos introduc in domum, cum videris nudum, operi eum, & à carne tua ne absconde te. Tunc erumpet veluti aurora lumen tuum, & sanitas tua citò germinabit, ibitq; coram te Justitia tua, gloria Jehovæ colliget te: Tunc invocabis, & Jehova exaudiet te: clamabis, & dicet: Ecce, adsum. Et Salomon *Proverb. 5.* Bibe aquam, inquit, de cisterna tua, & fluenta de medio putei tui. Dispergant sese fontes tui forâs: In plateis rivi aquarum tuarum:

Sint

Int tibi soli, & non alienis tecum. Compensatio promittitur, *Proverb. 19.* Qui miseretur pauperis, fœneratur Domino. Vide similia præcepta & promissiones *Psal. 41. 112. Matt. 5. 2. Cor. 8. 9.*

## II. PARS.

Posteriore parte Epistolæ hortatur Paulus Galatas, ut sibi à Pseudoapostolis, circumcisionem legisque ceremonias tanquam ad salutem necessarias urgentibus, sibi caveant. *Videte quantis literis vobis scripsi, &c.* Primum autem suum erga Galatas amorem, & pro illorum conversione & salute sollicitudinem testatur, prolixitate literarum sua manu exaratarum, & quidem tum, cum non tantum variis laboribus occupatus esset, sed etiam Romæ captivus teneretur, & hoc ipsum etiam præter suam consuetudinem, siquidem aliàs in scribendis ad Ecclesias literis amanuensibus uti solitus fuerit. Deinde subjungit exhortationem seriam de cavendis Pseudoapostolis: *Quicumque volunt juxta faciem placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, ne crucis Christi causa persecutionem patiantur.* Apostolus spiritum Domini habens Galatis veras *ⲉϥⲓⲛⲁⲗⲁⲓⲁⲓ* causas ob oculos ponit, quibus falsi Doctores impulsæ circumcissionem suadeant & urgeant. Quarum prima est, *ut juxta faciem placeant in carne*, id est, ut apud homines vanam gloriam & nominis celebri-

lebritatem consequantur, ut qui circumcissionem & ceremonias legis ( quas carnis nomine intelligit ) gentibus persuaserint, & multos profelytos fecerint. Altera est: *Ne crucis Christi causa persecutionem patiantur.* Quia enim Judæi obstinati persequiebantur acerrimè eos, qui sine circumcissione & lege Mosaica, Evangelium de Christo crucifixo, purè & sincerè docebant, Pseudoapostoli illum cum Evangelio conjungebant circumcissionem & ritus legis, ut ita favorem Judæorum aucuparentur, & ocio ac quiete perfruerentur. Cùm verò falsi Doctores zelum & studium legis prætexerent, illum prætextū ipsis adimit Paulus, & alteram veram *γενναλαληλιω* repetit (videlicet gloriationem in carne.) *Neq; enim qui circumciduntur, ipsi legem servant, sed volunt vos circumcidi, ut in vestra carne glorientur: Quasi d. Obtendunt illi quidem, qui circumciduntur, zelum & amorē legis, sed tamen ne ipsi quidē illā servant. Non enim possunt onus legis portare. Et qui in uno reus est, in omnibus reus est, ut ex legis observatione salutē ipsi obtinere nequeant.*

Verùm hæc vera causa est, ob quam vos circumcidi volunt: *Ut in carne vestra glorientur*, id est, quod si ad ressecandum carnis præputium vos pellegerint, hinc materiam habeant gloriandi de vobis, quòd ad Judaismū vos adduxerint, & vos Profelytos fecerint.

Huic

Huic falsæ gloriationi opponit Paulus suam gloriationem, inquit: *A me verò absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi,* quasi dicat: Glorientur Pseudoapostoli in carne, in circumcissione, ceremoniis Mosais earumq; observatione, glorientur in suo ocio & quiete, in favore Judæorum & mundi. A me verò absit istiusmodi gloriatio omnis: Ego, de quo gloriar, non habeo quicquam, *nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Gloriatur autem in cruce Christi Apostolus duplici ratione: 1. Cùm in unico Christo crucifixo omnem salutis fiduciam & spem collocat, non in circumcissione aliisvè rebus terrenis. Deinde gloriatur in cruce Christi, dum non reformidat, ob prædicationẽ verbi Christi crucifixi, crucem & persecutionem sustinere, sed in ipsis etiã afflictionibus cum exultationibus animi acquiescit. (*Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*) Quibus verbis ostendit, se virtute & gratia Christi hoc habere, ut ipsum mundum, favores hominum, gloriam & splendorem mundi pro nihilo habeat & contemnat, quin potius propter Christum odia & persecutiones in mundo perpeti non exhorrescat. Hoc enim vult phrasıs illa: *Per quem mihi mundus crucifixus est,* id est, maledictus, & pro execratione habitus, sicut qui crucifigitur, pro maledicto habetur: *Et ego mundo,* id est, mundus

dus me vicissim execratur, pro maledicto  
 habet & persequitur. *Nā in Christo Jesu, &c.*  
 Ut autem Paulus errorem falsorum Docto-  
 rorum, quo circumcissionem, ut ad salutem  
 necessariam, urgebant, penitus refellat, & è  
 regno Christi circumcissionem eliminet, pro  
 ratione ponit insignem sententiam & regu-  
 lam: *Nam in Christo Jesu neq<sub>3</sub> circumcisio quid  
 valet, neq<sub>3</sub> præputium, sed nova creatura.* Con-  
 venit hæc sententia cum illa, quam supra s.c.  
 penè iisdem verbis posuit: *In Christo Jesu ne-  
 que circumcisio quid valet, neq<sub>3</sub> præputium, sed  
 fides per charitatem operans.* Adæquat enim  
 circumcissionem præputio, ut in regno Chri-  
 sti ad salutem utrumq; nihil quicquam va-  
 leat aut conducatur, atq; ita Judæos & gentes  
 æquales reddit. Per circumcissionem autem  
 simul omnes ritus legis Mosaicæ comple-  
 ctitur, de discrimine ciborum, dierum, &c.  
 Sicut per præputium omnem carnalem gen-  
 tilium sapientiam. Quid ergo in Christo va-  
 let? *Nova creatura.* Non autem per novam  
 creaturam intelligit mutationem substantiæ  
 fieri in hominibus, ut abolita priore substā-  
 tia nova creetur: sed loquitur de gratia re-  
 generationis, qua qui naturā erant filii iræ,  
 jam ex Deo nascuntur filii Dei per fidem:  
 per fidem enim estis nova creatura, inquit  
 Paulus 2. Cor. 5. Quam regenerationem fieri  
 ex aqua & Spiritu, Dominus testatur Joh. 3.

Hinc

Hinc sequitur, quod qui ex filiis iræ facti sunt filii Dei per fidem in Christum, illi jam etiam Spiritu Domini donati benè sentiant & loquantur de Deo, diligant DEUM & proximum, in novitate vitæ ambulent, conditi scilicet in Christo Jesu ad bona opera, ut in his ambulent, *Eph. 2.* Hi sunt accepti Deo per Christum Jesum, sive sint circumcisi, sive non: Hanc regulam Galatis sub finem Epistolæ fideliter commendat, addita promissione: *Et quotquot secundum hanc regulam incedent*, id est, qui ita, nec in circumcissione, nec in præputio causam salutis, aut veræ pietatis summam collocant, sed in sola regenerationis gratia per Christum Jesum, *super illos pax* scilicet erit, id est, si pace & tranquillitate conscientiæ & vera felicitate fruuntur, *& misericordia*, i. e. hos Dominus suo favore prosequetur, *& super Israël Dei*, id est, super Ecclesiam veram, quæ est Israël, non secundum carnem, sed secundum promissionem & fidem ex Deo notam, non secundum literam, sed secundum Spiritum. Hi sunt non illi, qui in circumcissione, legeq; Mosis glorientur, sed fide Christum apprehendunt, sive sint circumcisi, sive minus, & in vera fide ad exemplum Israël Patriarchæ veræ pietati student. Ita igitur satis dilucidè, tum proposita ipsius veritate Evangelii, tum directis imposturis ac fallaciis PseudoApostolorum in fine monet, ut

R S huic

huic sanæ doctrinæ acquiescant, neq; locū dent doctrinæ adversæ, nedum de novo molestiam ipsi creent. *De cætero*, inquit, hoc est, *imposterum molestias nemo mihi exhibeat*, quæ verba quandam indignationem Apostoli præ se ferunt, quasi dicat, satis fideliter munere Apostolico apud vos perfunctus sum, & in proponenda vera doctrina, & in refutanda falsa: Vestrum nunc est, rejectis erroribus veritate acquiescere, nec mihi denud negociū faceßere. Fidelitatis suæ *δοκιμασίαν* adducit sua Martyria: *Ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto*. Per stigmata intelligens sua martyria, plagas, vulnera, persecutiones, quas non ob *πολυπληθυσίαν*, aliave facinora, sed ob suam in prædicatione Evangelii de Christo crucifixo fidelitatem perpessus est. Unde stigmata Domini Jesu appellat. Illa, inquit, satis de meâ diligentia, & fidelitate testantur. Recenset hæc stigmata Apostolus 2. Cor. II. Et illa opponit stigmati circumcisionis, in quo PseudoApostoli gloriabantur. Nunc itaque Epistolam hanc claudit voto & precatione. *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum Spiritu vestro fratres Amē*. Per gratiam intelligit favorem & dilectionem Christi gratuitam, cum Spiritu gratiæ. Et precatur, ut hæc gratia sit cum Galatarum Spiritu, in ipsorum animis hanc veram doctrinam suam de salute ipsorum obsignans.

Ut

Ut verò sub finem adhuc suam erga ipsos benevolam affectionem testificetur, *fratres* appellat. Particula *Amen* indicat, seriò se hanc gratiam Christi ipsis precari, & quod precatur, certò exauditum iri. Ac certum est, hunc laborem Apostoli in revocandis in viam rectam Galatis, & hoc votum apud multos non fuisse in Domino inane.

Assignatur Epistolæ locus, vnde scripta fuit ad Galatas: Scripta est Romæ, ubi dum Apostolus captivus fuit, & neq; in captivitate sua sollicitudinem pro Ecclesiis Christi deposuit.

#### LOCI COMMUNES.

I. Quod Apostolus suis manibus in captivitate, tam longam Epistolam ad Galatas perscripsit, eo nobis omnibus illam magnificendam diligenter commendat, & præterea pia sua sollicitudine pro Ecclesia præbet exemplum omnibus ministris verbi imitandū, ut sua pro commisso sibi grege sollicitudine auditorum benevolentiam captent, in eorumq; animos influant. Dicit enim non potest, quantò plus ædificent illi pastores auditores suos, quàm illi, à quibus auditorum animi alieni sunt.

II. Attendantur duæ notæ falsorum doctorum, quarum prima est, inanem gloriam accupari, & ut Apostolus hic loquitur, ἐν ὄψει προσώπου, id est, *iuxta faciem placere*: altera est

ita doctrinam suam inflectere, ne ob crucem Christi persecutionem patiantur, quos *Phil.* 3. inimicos crucis Christi appellat Paulus. Veri autem doctores cum Paulo sic sentiunt, si hominibus placere velint, se Christi servos non esse *Galat.* 1. Et *stigmata Domini Jesu in corpore suo ferre*, & in Evangelio Christi affligi usq; ad vincula, omnia sufferre propter electos, & cum Christo commori non detre-  
dant, 2. *Tim.* 2. Certi, si cum Christo commo-  
riantur: etiam se cum Christo victuros, & h  
sustineant, etiam conregnaturos, 2. *Tim.* 2.

III. De vera gloriatione sanctorum, que non est in rebus caducis, & terrenis, sed in cruce Christi, tum ea ratione, quod in solo Christo crucifixo salutem suam sibi constare nōrunt, tum etiam, quod in afflictionibus, quas ob prædicationem Christi crucifixi per-  
ferre coguntur, cum animi exultatione ac-  
quiescunt, de qua *Rom.* 5. *Ec.* Gloriamur sub spe gloriæ Dei. Nec id solū, verum etiam gloriamur super afflictionibus.

IV. Propria fidelium Christi servorum & omnium filiorum Dei nota est, ut *ipsis mū-  
dus sit crucifixus*, & *ipsi mundo*, id est, maledi-  
cti. Ipsi enim mundum pro maledicto ha-  
bent, nec mundum diligunt, nec quod in  
mundo est, 1. *Joh.* 2. Inde cum ipsi mundum  
non diligant, & mundus, quod suum est, in-  
ipsis non agnoscat, vicissim mūdus ipsos odit,  
exe-

execratur & persequitur, ita ut in mundo sint veluti *Ἐκβάματα* & omnium rejectamentum, 1. Cor. 4. Hæc autem omnia ita per Christum Jesum possunt, qui ipsos confortat, superantes in his omnibus per eum, qui ipsos dilexit, Rom. 8.

V. Christianorum decus summum est, esse *novam creaturam*. Sunt autem nova creatura per fidem in Christum, teste Apostolo, qui in Christo sunt nova creatura, 2. Corint. 5. Hi Spiritu Domini renovati jam in novitate vitæ ambulant, Rom. 6.

VI. Christianis in fide, & vita ad certam regulam incedendum. Hic canon est verbum Dei, secundum illud, Es. 8. ad legem & ad testimonium. Qui ad hanc regulam vel non incedunt, vel loquuntur, vel vivunt, illis non erit lux matutina. Qui verò *juxta illam regulam incedunt, super hos pax & misericordia & supra Israël Dei*, cujus laus non est ex hominibus, sed ex Deo, id est, super totam fidelium Ecclesiam. Ergo spretis Romanorum Pontificum decretis, traditionibus humanis, regulis monasticis, omnes consentientes, eadem regula ad normam nimirum verbi Prophetici & Apostolici incedamus, ut præcipit Paulus Phil. 3. Non reformidantes excommunicationem ullius falsi doctoris aut Antichristi, quæ est fulgur ex pelvi, super nos erit Pax, & misericordia secundum promissionem Apostoli.

VII. Auditores verbi ne suis ministris temerè molestias exhibeant, quod fit, si quibusvis Sophistis & seductoribus aures præbeant, & sanæ doctrinæ non acquiescant. Ita non ipsos solùm, sed in ipsis etiam Spiritum Domini contristant.

VIII. De discrimine verorum & falsorū martyrum. Hi, ut homicide, fures, facinorosi, allotrio Episcopi, affliguntur. Hi non possunt gloriari, se stigmata ferre in corpore suo. A quo martyrii genere alienos esse vult Christianos Petrus 1. Epist. 4. At veri martyres *stigmata Christi ferunt in suo corpore*, & pro gloria Christi, pro veritate, propter justitiam persecutionem patiuntur, *Matth. 5.* de quibus Petrus ait: Si probris afficimini in nomine Christi, beati estis, illi Deum glorificant in corpore suo, etiam in ipsa morte, *Joh. 21.* Et hîc est verum, quod Cyprianus dixit: Non martyrium, sed causa facit martyrem.

IX. Tum demum pios in agnitione veritatis vera fide & pietate proficere & perseverare, si gratia Domini Jesu Christi sit cum ipsorum Spiritu. Si Deus omnis gratiæ, qui nos vocavit ad æternam suam gloriam per **JESUM CHRISTUM**, parumper afflictos nos instauret, fulciat, roboret, & stabiliat, *1. Pet. 5.*

Ipsè enim est, qui dat & velle & perficere pro beneplacito, *Philip. 2.* Is orandus est, ut, quod

quod cœpit in nobis opus bonum, perficiat,  
usq; ad diem Jesu Christi.

Huic regi seculorum immortalis, invisibili,  
soli sapienti Deo sit honor & gloria in secula  
seculorum Amen.


*F I N I S.*





263  
In nomine domini Amen  
et regni in terra viventium  
in die iudicii  
In nomine domini Amen  
et regni in terra viventium  
in die iudicii


FINIS




















M  
G  
br



ROBERTO M. SIN  
ACI SSYSEST

De grammatica hebraica  
in octo libros

Philol.  
120  
777







